




BIBL. DO MUSEU  
N.<sup>o</sup> 29  
Est.  
Tab.  
3  
Coimbra

INST. ANTR.  
N.<sup>o</sup> 1223  
Est. 3  
Div. 2  
Tab. 3

COIMBRA

LIBERIA ROMANA  
GILBERTI LATINA

etiam in aliis quibusdam in quatuor Tomos diffinitis.



# ARISTOTELIS OPERA OMNIA, GRÆCE ET LATINE.

DOCTISSIMORVM VIRORVM INTERPRETATIONE

& notis emendatissima, & nunc tandem in quatuor Tomos distributa.



GUILLEMVS DV-VALLIVS REGIS CHRISTIANISSIMI CONSILIARIUS

¶ Medicus tertio recognouit, Synopsin analyticam adiecit, nouis disquisitionibus,  
notis, & Appendicibus illustravit.

CVM TRIBVS INDICIBVS.

Quæ huic Editioni accesserunt pagina proxima indicabit.

TOMVS TERTIVS.



PARISIIS,

Apud { IOANNEM BILLAINE.  
SIMEONEM PIGET. } Via Iacobeâ.  
FREDERIC. LEONARD. }

Dictionaria do llo M. DC. LIII. Congr. Regulene  
CVM PRIVILEGIO REGIS.

# ДИПЛОМАТИЧЕСКИЕ ОПЕРАЦИИ





# INDEX EORVM QVÆ TERTIO TOMO CONTINENTVR.

Synopseos Analyticæ vniuersæ doctrinæ peripateticæ pars tertia, in hac vltima editio-  
ne plusquam mediâ parte auctior, corre-  
ctior & illustrior.

Ethicorum Nichomachæorum Lib.

Magnorum Moralium.

Eudemiorum.

De Virtutibus.

De Republica.

Kyriaci Strozæ Politicorum.

De cura rei familiaris.

Artis Rheticæ.

Rheticæ ad Alexandrum.

*G. Du Val author hanc vltimam  
editionem media parte auxit,  
correxit, illustravit.*

- |       |  |
|-------|--|
| X.    | <i>D. Lambino interprete.</i>          |
| II.   | <i>G. Valla Placentino interprete.</i> |
| VII.  | <i>Incervo interprete.</i>             |
| I.    | <i>Symeone Gryneo interprete.</i>      |
| VIII. | <i>D. Lambino interprete.</i>          |
| II.   | <i>Ioachimo Camerario interprete.</i>  |
| III.  | <i>Antonio Ricobono interprete.</i>    |
| I.    | <i>Francisco Philelpho interprete.</i> |

# INDEX CONTINENTALIS OMOT OITRAT

Rheumatism of Alexandria.	I.	Auis Rheumatic.
Hannibal's Hippopede rheumatism.	III.	Amoris Rheumatic.
Therapaea Hannibal's rheumatism.	II.	De cures des familiars.
Lachesis Cervus (Cervus) rheumatism.	II.	Kaliach Stoxax Pollicolum.
D. Therapaea rheumatism.	III.	De Receptiles.
Someone Cervus rheumatism.	I.	De Ailures.
Therapaea Hippopede rheumatism.		Endemionum.
Someone Cervus rheumatism.		Melaphorium Molophilum.
Cervus Hippopede rheumatism.	VII.	Epidicottum Nicotomacum Tsp.
D. Therapaea rheumatism.	X.	Grotz & Influor.
the Epidicottum megistis Dritte unguisot, colla- caries, fistulas.		the Epidicottum megistis Dritte unguisot, colla- caries, fistulas.
the Epidicottum megistis Dritte unguisot, colla- caries, fistulas.		Syndoplos Anayaticc unguis gotiunus be- tibactericus bars certas, in pte aliuma chito-
		the Epidicottum megistis Dritte unguisot, colla- caries, fistulas.



# SYNOPSEΩS ANALYTICÆ VNIVERSÆ DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

P A R S T E R T I A,


*In hac postrema Editione ab ipso authore multum aucta.*

In quā libri Aristotelis tertio hoc Tomo comprehensi, Ethici Nicomachij, Ethici Maiores, Ethici Eudemij, Oeconomici, Politici, Rhetorici, suo ordine omnes; scholiis vberioribus, ac ferè commentariis, pro rerum dignitate & copiâ illustrantur.

*Auctore GVILLE LMO DV-VAL Pontifarano, Philosophiae Græcæ & Latinae,  
in Parisiensi Academiâ Regio Professore & Doctore Medico.*

Ad libros Ethicos Aristotelis

## P R A E F A T I O.



RÆCLARE quidem & meo iudicio sapienter Stoicæ disciplinæ principes, Philosophia, eiusq; partes varias populari quadam ratione, atque ut loquitur pâsim Aristoteles, *ως πτώση*, describere olim aggressi, eam triplici potissimum imagine ac similitudine, Agriculicet, Oui, & Animalis, expresserunt. Cùm enim illi totam Philosophiam dicerent esse veluti pulcherrium quemdam & feracissimum agrum, multis quidem refertum flosculis & fructibus, sed viuo forte sepiamento vndique circumuallatum; sepem quidem aiebant esse Dialecticam; terram verò flores, & arbores, Physicam; fructus denique, Ethicam. De ouo itidem. Sic enim illi cum ouo posse Philosophiam comparari dicebant, ut exterior pars, id est, putamen siue testa, Logicam; albitum, Ethicam; interior vero pars, id est, vitellus, Physicam referre videretur. Cum animali autem longè perfectius ac elegantiū. Ossa enim & neruos esse Logicam; partes carnosas & molles, Ethicam; animam vero, Physicam. Addit Diogenes Laërtius iconem Philosophiae quartam. Vrbem nimirum ornatissimam

Tom. 3.

optimèque munitam, & quæ secundum reatam rationem ac iustitiae leges administretur. Itavt Philosophicæ ciuitatis mœnia murosque fortissimos vclit esse Dialecticam; ciues, Physicam; leges, & morum instituta, Ethicam. Reatè, inquam, id dictum & appositiè, præsertim si Sexti Empirici iudicium & interpretationem sectemur, qui Diogenem, ut patum fidcliter & accommodatè Stoicorum decreta atque apodoses referentem, arguens; vitellum, in oui similitudine, ad Ethicam; albumen vero (quod est, ut ille ait, vitelli alimentum; quanquam eâ de re lis est, & dissenso inter Hippocratem & Aristotelem) *Vult Hippocrates è vitello pulchrum fieri, Aristoteles ex albamine, lib. 3. de Gen. Animal. cap. 2. & lib. 6. de hist. animal. c. 3.* in Anima compatione, carnes & sanguinem, ad Physicam; animam vero ad Ethicam reuocari debere contendit. Atque id ita à Posidonio insig- ni Stoico fuisse expositum asseuerat. Nec sanè immitterit. Cùm Philosophia haec motum, *αντὸ τὸν οὐρῶν*, id est, *ἀπὸ μορίbus*, id est, moralis, nominata; inter scientias artesque omnes purè naturales & humanas, principatum videatur obtinere, si non ex ratione contemplandi, aut methodi accurrioris, saltem ex usu potiore, fructuque uberrimo, qui ex illâ in homines copiosissime redundat. *Vnde enim quæso, vita probitas esse*

## SYNOPSIS ANALYTICA

poret, unde recta morum institutio, honestas, virtus; unde ipsa hominum beatudo, & felicitas? Vnde familiarum domorumque prudens administratio, unde regimina ciuitatum, artis regnandi & imperadi, pax tranquillitasque publica? Vnde tandem priuatum singulorum, commune omnium, summumque bonum existit, quam ab unâ illâ hominum singulari rectrice; ac morum dominâ Philosophia? Etenim Ethicæ nomen generali significatu ut hic sumitur, omnes Philosophiaæ moralis partes specialesque comprehendit: monasticam (quæ ethica specialis dicitur,) œconomicam, & politicam: quæ tres sic humanos mores actionesque instruunt ad virtutem, summumque bonum; ut Monastica quidem priuatos, singulosque homines instituat ad bene beatitudine viuendum, etiam in eremo & solitudine, siue apud se solos; unde nomen habuit

*Quid Mo  
naistica.*

*Quia de-  
amis  
con-  
om-  
nica.* que amis ab uno solo; Oœconomica vero quæ amis ab uno & rebus hominum nomen naœta est, id est, à domo, siue familia quam regit; homines erudiat, ut honestè se gerant in familiâ: quatenus scilicet cum alio, vel aliis in eadem domo viuunt, ut herus cum seruo; maritus cum coniuge; pater cum liberis: Politica denique ciuibus leges praescribat, & ciuitates, regna, imperiaque, iis moderetur ac temperet institutis, quæ ad communem hominum omnium iure sociorum utilitatem, ac summum reipublicæ bonum imò & Dei Opt. Max. cultum & gloriam per se referantur. Quibus profecto officiis nihil potest esse utilius, iucundius, honestius, præstantius, diuinius. Vnu ergo potiore, fructuque præcellit Ethica, Physicamque, Mathematicas, & alias inferiores artes dignitate vincit, sola Theologia minor ac inferior: cum qua etiam, religionis, cuius & Politica maximè sollicita est, vinculo arctissimè coiungitur. Atque hinc Socrates abiecit cæteris, vnam potissimum Ethicam coluisse dicitur: quod ea virtuti homines totos addiceret, Deoque Optimo Maximo facilius conciliaret. Est igitur Ethica siue Philosophia moralis, scientia practica, quæ mores hominum instruit, dirigitque in summum bonum, siue beatitudinem. Est, inquam, scientia: quia demonstrationes continent non paucas de suo obiecto, ut quod mores hominū sint boni, quia fiunt ad mediocritatem virtutis, quæ est secundum relationem, & prudentiae legem constituta: quod mali, quia à mediocritate illa relationis deflectunt. Item quod virtus sit difficilis; quia difficillimum tenere semper mediocritatem. Item quod vitium fugiendum: quia est contra relationem & honestatem: quæ demonstrationes, ut & alias multæ, quæ ad mores spectant, claræ quidem sunt; sed non adeo certæ, & con-

stantes, ac Mathematicæ, vel Theologicæ, vel Physicæ: quia nempe sunt de iis quæ ab humano iudicio arbitrioque fere dependent, facileque mutantur. Quanquam communes Ethicæ conclusiones certiores sint particularibus. Est etiam Ethica omnis practica: quia versatur circa praxes, quas dirigit; eiusque finis est in æstetica, h. i. bene agere & bene viuere. Est autem æstetica, propria, & vt hic sumitur, actio voluntatis, quæ fit ex libertate, cuius scilicet principium est electio. Tales enim actiones liberas & humanas, quæ verè & propriè dicuntur mores, instruit ethica; vt tandem per eas prudenter directas atque exercitas, obtineatur beatitudo, quæ docuit Aristoteles, in actione animi virtute viuentis, in vita vndique perfecta esse reposita, vt ex l. i. Ethic. mox apparebit. Hinc intelligitur materia siue obiectum ethicæ, nempe actio humana, quæ moralis dicitur, & fit ex electione. Item eiusdem finis, siue hominis felicitas, quæ dicitur summum bonum, & finis ultimus.

*Divisio Ethicorum Aristotelis.*

**P**hilosophandi ratio omnis in tres partes à veteribus est distributa: in naturæ obscuritatem, (ad quam fortè res Metaphysicæ referri possunt, quæ per naturales etiam intelliguntur, quatenus non sunt supernaturalis contemplationis,) in differendis subtilitatem, in vitam atque mores. Prima Physica est seu potius scientia quælibet contemplatrix naturali lumine acquisita. Secunda Logica. Tertia Ethica. Ethica triplex. Monastica, quæ priuatum; Oœconomica, quæ domesticum; Politica, quæ ciuem instruit. Sed Monastica dicitur propria & specialis Ethica. Quamquam Aristoteles omnes illas ethicæ partes uno Politicæ nomine comprehendit. Ut ex c. 2. lib. i. Ethic. colligitur, &c. vlt. lib. 10. eiusdem operis, & cap. i. lib. i. Magnorum Moral. ita vt Ethica generatim & Politica idem sint, tributo scilicet cæteris præstantioris partis nomine. Duæ enī priores in Politicam, quæ tertia est, & præstantissima, sponte tendunt ac diriguntur. Ethicam igitur propriè dictam (quæ & Monastica continet, & communia etiam aliis partib. explicat doceunt) tractat & absolvit Aristoteles decem libris Ethicorum ad Nicomachum, duob. Magnorum moralium; septem ad Eudemum; uno, de Virtutib. & vitiis: Oœconomicam verò duobus: Politicam denique octo, quibus postremis, cum non fuerit doctrinæ ciuilis amplitudini ab ipso Aristotele satisfactum, adiecit vir doctus Kyriacus Stroza duos, in supplementum. Sed cum horum librorū grauissimi sint decem ad Nicomachum, & octo illi Politici: quin non doctrinæ duntaxat, in rerum præstantissimarum copiâ & varietate, sed etiam docendi ratione

## DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

ac methodo reliquos superent: æquum sanè videtur, vt si quam vbertatem & copiam pati potest institutæ Synopseos ratio, in istis sumus vberiores ac diligentiores: ita tamen ut cæteros intactos non prætereamus; sed suis etiam notis ac luminibus, quantum res postulabit, illustremus, vt nihil sit operum Aristotelis, quod non oculis saltem percurrendo lustremus: atque etiam tibi, lector ornatissime, quasi in expeditiore tabula vindendum exhibeamus.

*Summa Ethicorum ad Nicomachum.*

**D**eem hos libros scripsit Aristoteles ad Nicomachum filium, vt ei bene beatèque viuendi morūmque doctrinam paterna benevolentia & affectu exponeret. Vnde hi libri nomen habuerunt *Nicomachii*. Methodus quām hic seruat, analyticæ est, siue resolutionis, à fine scilicet ad media: quasi à toto ad partes, ab effectu ad causam (habent enim media rationem cause efficientis, quia per ea fit finis) procedendo. Vnde duæ omnino totius operis partes colliguntur. prior, de fine vltimo siue de felicitate; posterior, de mediis, quæ ad obtinendum finem conferunt. Agit autem de beatitudine primo & decimo libros; quia finis & primus est, intentione; & vltimus, executione.

Primo igitur libro differit de felicitate siue vltimo hominis fine. Secundo, de virtute. Tertio, de principiis actionum humarum, voluntario, inuoluntario. Item de fortitudine & temperantia. Quarto, de liberalitate, magnificencia, magnanimitate, modestia, mansuetudine, affabilitate, veritate, urbanitate, verecundia. Quinto, de iustitia. Sexto, de virtutibus mentis, arte, prudentia, scientia, intelligentia, & sapientia. Septimo, de virtute heroicâ, de feritate, continentia, incontinentia, constantia, mollitie animi. Octavo, de amicitia. Nono, de adiunctis amicitiæ, eiusve conditionibus ac proprietatibus. Decimo, de felicitate practica, & theoretica, sed de hac maximè, quæ ab habitu sapientiæ proficitur, & in rerum altissimarum, præclarissimarum, sciéque iucundissimarum contemplatione consistit.

---

### Liber primus Ethicorum.

**C**onstat capitibus tredecim, in tres partes redactis. I. Docet esse finem vltimum siue summum bonum in rebus humanis. II. Proponit refutatque opiniones vulgi & sapientum de ipso summo bono, siue beatitudine. III. Statuit in quo verè consistat felicitas.

*Ad Cap. primum.*

**O**rditur Aristoteles suo more ab illustri pronunciato seu axionante, vt an-

te omnia doceat, in actionib. humanis, quæ ab usu rationis & ex electione fiunt, dari summum bonum, siue finem vltimum, quod illæ actiones dirigantur. Omnis, inquit, ars, methodus, actio, & consilium siue electio ad bonū aliquod tendit, referturque. Ideo bonum recte olim definitum, quod omnia appetunt. Tum ponit finium differentiam, *τέλα διαφορά*, *et* alios enim consistere in actione; sic modu- *περιττην* *επιστημών* latè canere, finis est Musicæ; alios in opere, *τέλος* id est, in re quadam quæ ex affectione sequitur, & post eam remanet: sic finis Architecturæ est domus; quia ex actione ædificandi sequitur, & post eam manet. Vbi ergo opus quoddam ex actione sequitur, ibi opera docet esse actionibus meliora & præstantiora: nempe quia actio est propter opus, vt propter finem. Finis autem præstantior est *Finis eff.* *præstantior* *medis.* iis quæ sunt propter finem. Statuit postea fines esse varios ac multiplices, iuxta actionem, artium, & scientiarum varietatem; esse tamen inter aliquos ordinem & subalternationem, vt inter ipsas artes. Vnde sic vt ordo est inter artem frænæfactoriam, equestrem, militarem, & imperatoriam, ita ut aliæ aliis vt præstantioribus deseruant; sic inter eamdem artium fines, eum esse ordinem; vt optabiliores sint & præstantiores iij, qui ad Architectonicas, id est, ad artes superiores & aliarum dominas pertinent. Cuius rei ratio est, quod fines inferiorum artium ob finem superioris expectantur. Quod si datur, inquit, in actionib. humanis (hic incipit cap. 2. iuxta Perionium) finis quidam, quem propter ipsum velimus, & alia ob ipsum solù omnia; datur autem reuera, (aliо-  
ni) qui res abiret in infinitum, nullusque esset appetendi finis, & sic vania esset & inanis appetitio, quod est absurdum, ) profecto erit finis ille vltimus, summum bonum, *Datur finis vltimus, quod est summum bonum.*

De quo sanè agere, Politicæ est; tanquam Architectonicæ & principis aliarum. Ex hoc loco colligitur hanc Ethicam, Politicæ nomine comprehendendi; cum velit Aristoteles hic agi debere, & reuera agat de summo bono; de quo tamen agere solius esse Politicæ scribit. Deinde admonet, nō debere in moralibus (hic incipit c. 3. Perionij) illud *τὸ εργόν*, exactam scilicet methodum, requiri, ob eorum inconstantiam, *τὸ τελοῦ*, sed satis esse eam docendi rationem, quæ rei subiectæ conueniat. Interim Politicæ, id est, Ethicæ rotius, auditorem idoneum non esse iuuenem; quia est rerum actionumque humanarum imperitus, caretque communium vitæ officiorum experientia; atque adeo de iis non poterit, vt par est, iudicare. De iis enim quæ quisque nouit, bene iudicat. Sed & frustra Politicam audiit, cum cupiditatib. suis indulget. *Quod illa verat.* Respondeo tamen Aristoteli, si iuuenis non est *τὸ εργόν* *τὸ τελοῦ*, cu-

## SYNOPSIS ANALYTICA

esse ad hanc preparandum & idoneum redendum.

*Nemo quippe adeo ferus est, qui non mites cere possit;*

*Si modò cultura patientem accòmodet aurè.*

*Ad Cap. secundum.*

**P**roferunt veterum sententias de summo bono. Aitq; primò, in nomine omnes consentire. Vocant enim illud *εἰς τὸν πολλούν*, vulgares homines; *εἰς τὸν καρδιῶντα*, politiores scilicet & eruditi, *εἰς τὸν θεοῦ*, beatitudinem: & putant omnes idē esse *τὸν καλόν τὸν αὐτοῦ*, bene vivere, *εἰς bene agere*, cum *τὸν εὐδαιμονῆτα*, beatum esse. Secundo, ait alios summum bonum reponere in voluptate; alios in diuitiis; alios in honoribus; alios in sanitate; alios in sapientia; alios in bono quodam perfectali, quod omnib. aliis causa sit, cur bona sint, id est, in ideâ boni, vt Plato volebat.

*Ad Cap. tertium.*

**Q**ui in voluptate reponunt beatitudinem, vt vulgares & plebeii homines, ait eos sectari voluptarium vitæ genus & belluinium. Tum notat vitæ genus triplex, voluptarium, politicum, theoreticum. Et homines quidem politicos in honore quaerere felicitatem. Esset tamen honorem euandum nimis ac fugacem, & in honorante potius quam honorato: felicitatem vero debere esse constantem & stabilem; & residere in eo qui felix est. Sed & honor defertur virtutis gratia, quare virtus meliori iure rationem beatitudinis indueret. Atqui ne quidem virtus finis est ultimus vitæ civilis, cum sit quid imperfectum. Virtus enim in dormiente & otioso & calamitoso esse potest. Non est ergo felicitas in voluptate corporis sita, nec in honore, nec in virtute. De genere autem viuendi contemplatio; postea. Sed neque in diuitiis est felicitas, quia queruntur ob aliud: suntque de genere utilium, quæ alio referuntur: at ipsa propter se solam expetitur felicitas.

*Ad Cap. quartum.*

**R**efutat Platonem, in ideâ boni constituentem summum bonum. Licet enim amicus sit Plato, esset tamen veritatem cariorum, præsertim Philosopho veritatis studioso. Docet ergo errasse ideo Platonem, quod ideam non ponat, ubi prius est, & posterius, vt in numeris. Atqui in bonis prius & posterius est: (bonum enim in substantia est, in qualitate, & relatis: substantia autem prior est quovis accidente:) ergo non erit Idea vlla boni. Sed neque sumnum bonum est, quod obtineri nequit. At idea non obtinetur acquiriturve. De ideis plura in Metaphysicis.

*Ad Cap. quintum.*

*Amicus Plato, sed magis amica veritas.* **S**tatuit summum bonum esse perfectum, quid, propter se expetitum, rerum agèntrum, id est, darum ultimum, sibi sufficientissimum, *εἰς τὸν καρδιῶντα*.

*Itavt non tantum ipsi soli beato sit satis, sed parentibus, liberis, coniugi, amicis, ciuibus, quia homo ad societatem ciuilem natus est: licet modus sit adhibendus. Esse verò summum bonum per se sic optabile; vt si cum alio bono non sit coniunctum, non desinat esse propter se maximè omnium optandum. Quanquam bonum additum bono, boni auget excellentiam.*

*Ad Cap. sextum.*

**S**tatuit, beatitudinem esse reponendam in actione. Quia perfectio rerū in actione consistit. In actione, inquam, hominis vt homo est, propriâ, eaque excellentissimâ, & cum ratione coniuncta, & præterea in vita perfecta. Quare bonum hominis esse actionem animæ secundum virtutem præstantissimam, in vita perfecta, & diurna. Vna enim hirundo non facit ver.

*Ad Cap. septimum.*

**C**olligit recte definitum fuisse summum bonum. Tum statuit principiorum alia inductione cognosci, alia sensu, alia *τηλείᾳ, consuetudine*. Bene ea debere definiri. Principiorum enim intelligentiam, magnū ad cetera pondus asserre. Et reuera principium videri plus quam dimidium totius.

*Ad Cap. octauum.*

**S**tatuit, bona alia esse fortunæ, siue externæ; alia corporis, alia animi. Hæc esse optimæ: in iis ideo, si actiones sunt, reponi felicitatem. Beatitudo enim vita est bene acta, siue bona aetio, *εὐεσθία, καὶ εὐωφέλεια*.

*Ad Cap. nonum.*

**P**utauere alij beatitudinem esse virtutem, alij prudentiam, alij sapientiam cum voluptate quadam. Ij sanè, inquit Aristot. à nobis omni ex parte non dissentunt. Quia statutus in actione virtutis sitam esse felicitatem. Vnde concluditur hanc confitente, non *εἰς κτηνά, in habitu, seu possessione*; sed *εἰς κακά, in ψυχή, id est, actuali exercitio*. Ut enim in ludis Olympicis non pulcherrimi aut fortissimi quique corona donatur, sed qui certant & vincunt; sic coronam felicitatis obtinent iij soli, qui recte faciunt, & honestis actionib. delestantur. Habet enim honesta omnis aetio voluptatem. Erit ergo felicitas quid optimum, pulcherrimum, iucundissimum, bonisque externis egens: Cū aetio præclara vix fieri sine facultatib. possit, vt nec sine amicis, generis nobilitate, potentia ciuili, pulchritudine, & similibus. Hinc enim factum est vt idem esse quidam putant *εὐηγέρεια*, id est, prosperitatem cum *εὐτυχίᾳ*, id est, felicitate ipsâ.

*Ad Cap. decimum.*

**S**tatuit, felicitatem à Deo esse; vel saltē *Felicitas* esse quid diuinum *καὶ διόδοτον*. Pararitatem virtute, vel doctrinâ, vel studio, non *in casu*. Rem enim omnium maximam & pulcherrimam fortunæ arbitrio permittere,

*Bonum  
bono ad-  
ditum sic  
mainit.*

*Beatitudo  
est nis ἡ  
ἡ εἰρή-  
τεσα, καὶ ε-  
πειτα ἐ-  
βίᾳ τελείῳ.*

*Beatitudo  
in usu est.*

*Eget bonis  
externis.*

## DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

*λίαν πλευράς, nefarium, & flagitosum est maximè. Vnde colligit, animantes felicitatis non esse capaces; neque etiam pueros; quia hi per ætatem nondum virtutis actionem exercere possunt; illæ verò virtutis munia nunquam obeunt.*

*Ad Cap. undecimum.*

**P**roponit egregiam quæstionem; de beatitudinis affectione: an scilicet in hac vita possit quis verè dici beatus? Dicebat enim Solon oportere finem videre.

*Ouidius. Cui fortè continet Poëta:*

*Expe&tanda dies homini, dicique beatus  
Ante obitū nemo, supremaque funera, debet.*

Nempe quia quandiu in hac mortali vita degimus, tandiu fortunæ telis ac periculis sumus expositi: at beatus diu beatam vitam agere tutoque debet. Statuit tamen posse in hac vita beatitudinem obtineri. Vel enim fortunæ euentus prospiri erunt, & sic ornabunt sapientem, siue beatum: vel aduersi, & sic acuerent animum sapientis, eumque non sine generositatis laude exercebunt. Tum docet affici beatum secunda vel aduersa amicorum fortuna: Imò & mortuos. Quādram horum beatitudo aut miseria non independeat. Ex hoc loco manifestè colligitur animæ rationalis immortalitas.

*Ad Cap. duodecimum.*

**S**tatuit non esse felicitatem de genere suauiori, id est, facultatum; quibus scilicet bene vel male vti liceat, vt sunt bona fortunæ & corporis. Non esse etiam de genere ruris immortali, bonorum laudabiliti, vt sūt virtutes: quia laudabile refertur ad aliud; & laus relatio est; at felicitas non refertur ad aliud. Sed esse de genere ruris pium, bonorum honorabilium & diuinorum: quia sui gratia expetitur, & cæteris causa est vt sint bona.

*Ad Cap. decimumtertium.*

**C**um ex antè dictis constet felicitatem esse actionem animi secundum perfectam virtutem; statuit de virtute dicendum esse: in quam omni studio incumbit, qui verè Politicus est: cuius est hæc cura præcipua, vt ciues efficiat bonos. Ut autem medicus, qui oculos totumque corpus curat, corporis naturam nosse debet: hinc enim ruris iugiori oī χαίειται τηλλα γεγματιόνων, mei rūrō σώματος γένος, politiores medici multum operæ ponunt in cognitione corporis: Sic Politicus qui animum curat, animi notitiam assequi debet. Sunt verò animi partes, vel facultates duas, vñ rationis expers, altera rationis particeps; siue ipsam ratio. Pars rationis expers, vel non potest rationi obtemperare, vt vis vegetatrix: vel potest, vt appetitus, qui in probis & continentibus rationi paret; in improbis (qui à probis in somno non differunt; hinc dictum inter beatos & miseros dimidia vitæ parte; ni-

hil interesse) reluctatur. Posse autem appetitum rationi obedire satis indicant motiones, reprehensiones, adhortationes, quibus vel abducimur à vitiis, vel ad virtutes incitamus. Ut verò pars animi duplex, mens, & appetitus: sic virtus alia mentis, siue dianoëtica, vt sapientia, intelligentia, prudentia: alia appetitus, siue ethica, id est moralis, vt liberalitas, temperantia. Esse autem habitus illos mentis, propriæ virtutes, concludit, ex eo quod sint laudabiles. Sapiens enim ex sapientiæ habitu laudatur, at omnis habitus laudabilis, virtus est.

### Liber secundus Ethicorum.

**N**ouem absolvitur capitibus: ubi de origine ac definitione virtutis.

*Ad Cap. primum.*

**D**ocet, virtutes mentis siue dianoëticæ, ortum & incrementum capere à Doctrinâ, ideoque experientia & tempore indigere, vt est Astrologia: virtutes autem morales siue Ethicas, acquiri consuetudine, & ēs vnde nomen habent. Per consuetudinem autem intelliguntur mores, siue actiones rectæ rationi consentaneæ. Ut enim virtutes morales extinguntur actionibus vitiosis, sic honestis generantur. Quare non sunt à natura insitæ virtutes, neque præter, aut contra naturam: Sed ab exercitio honestarum actionum. Sic actio iusta, iustitiam; actio fortis, fortitudinem generat.

*Ad Cap. secundum.*

**S**tatuit, actiones honestas & rectæ rationi consentaneas in mediocritate possitas esse; vitiosas, in excessu, vel defectu. Quod illustrat ex medicis. Ut enim exercitationes videntiores & immoderatae; itemque remissiores & parcæ, vires roburque corporis minuant: & poculenta etiam ac esculenta, tam copiosiora quam parciora sanitatem lœdunt: sic excessus & defectus nimium & parum virtutem labefactant. Docet deinde internosci habitus bene vel male agendi, dolore & voluptate. Qui enim bene agendo delectatur, is virtutem siue habitum bene agendi possidet: qui autem male agendo delectatur, vitium siue habitum contraxit male agendi. Vnde sequitur, virtutem moralem totam fere in dolore & voluptate occupari. Annotat illustre dictum Heracliti, χαίειται τηλλα γένος. Difficilius voluptati resistere, quam iracundiæ.

*Ad Cap. tertium.*

**S**tatuit, cum qui iuste & fortiter agit, iustum esse & fortis: & ad actionem virtutis, præter executionem siue perfectiōnem operis, necessarium esse, vt qui agit, sciens

*Virtutes  
dianoëticæ  
sunt in d.  
duorum :  
ethica, i.e.  
ēs.*

*Actio ha-  
nesta in  
mediocri-  
tate con-  
ficit.*

*Politicens  
animum  
nosse de-  
bet.*

*Animi  
partes duas*

prudēnsque agat, ex deliberatione, alacriter & bono constantique animo.

*Ad Cap. quartum.*

**C**VM in animo sint tria, passio siue perturbatio, ut timor, audacia, &c. Facultas, ut appetitus, voluntas; & habitus, *Virtus est quo benè vel malè afficiuntur.* Virtus autem in animo sit: neque verò ea sit perturbatio; neque facultas naturalis; cùm perturbatio nec laudi detur, nec probro: neque simus naturā probi vel improbi: virtus verò sit laudabilis, & probum faciat denominēque, efficitur ut virtus sub genere habitus contineatur.

*Ad Cap. quintum.*

**S**TATUIT, virtutem esse habitum non quemlibet, sed eum quo homo bonus fiat & suo munere bene fungatur: ita ut virtus, & rem cui inest, & eius actionem, faciat meliorem. Vnde necesse est virtutem in medio siue in moderatione vel mediocritate consistere. Est verò medium aliud rei, siue Arithmeticum, quod æqualiter abest aut distat ab extremis: estque ubique ac semper idem, ut sex, inter decem & duo. Ab utroque enim extremo distat senarius æqualiter, nempe quatuor unitatibus; aliud quoad nos: quod dicitur rationis, & Geometricum, vel proportionale, ut est senarius respectu duodenarij, & ternarij. Hoc igitur medium ad virtutem requiri docet, quod reuera medium est prudentiae, inter nimium & parum. Vnde sicut in *αριθμοῖς καὶ ἀντικαστέσσι*, excessus & defectus ad vitium, sic *μετροῖς*, mediocritas illa quoad nos, & quam recta ratio præscribit, ad virtutem pertinet.

*Ad Cap. sextum.*

**D**EFINIUIT virtutem habitum electuum in ea mediocritate consistentem quæ est ad nos ratione definita, propt̄ vir prudēs definierit. Tum mediocritati vitia duo esse opposita docet, unum secundum excessum; alterum secundum defectum. Sic fortitudini opponi audaciam, ut excessum; timorem, ut defectum; liberalitati profusionem, ut excessum; auaritiam siue illiberalitatem, ut defectum. Denique statuit non omnem actionem, nec perturbationem esse mediocritatis capacem, ut homicidium, impudentiam.

*Ad Cap. septimum.*

**D**Eclarat inductione virtutum singularem, virtutem in mediocritate consistere; vitium in duobus extremis.

*Ad Cap. octauum.*

**D**OCEST primò, medium & extrema inter se comparata, sibi mutuo aduersari: ac proinde vitia extrema, & inter se & cum virtute pugnare. Secundò, virtutem cum uno extremo è duobus vitiis, comparatam alteri similem videri: sic fortitudi-

nem cum audacia comparatam, similem ignauiae videri, & contrà. Tertiò, esse maiorem contrarietatem & pugnam inter duo vitia extrema simul comparata, quām inter vitium unum, & virtutem medium. Quartò, maiorem esse affinitatem quorumdam extremonum cum medio, quām aliorum. Sic audaciam magis accedere ad fortitudinem, quām ignauiam: profusionem, ad liberalitatem, quām illiberalitatem, vel auaritiam.

*Ad Cap. nonum.*

**D**IFFICILEM esse virtutem probat, quia consistit in medio, eoque prudentiae: tale autem medium nōesse ac tenere est per difficile. Considerandæ enim circumstantiæ personarum, temporis. Videndum quantum donare oportet, quo modo, qua causa, & fine. Quod prudenter facere non est cuiusvis. Ut ergo virtutis medium assequaris, oportet ab eo extremo vitio te maximè defletere, quod virtuti magis aduersatur. Sic fugienda maximè ignauia, ut sis fortis. Videndum etiam cui vitio proclivior sis. Ab eo enim reflectendum tibi est in alteram partem; & sic fiet, ut vel in medio confistas, vel non procul ab illo.

*Liber tertius Ethicorum.*

**Q**VINDECIM, vel, ut alij volunt, duodecim constat capitibus: vbi de voluntario, inuoluntario, electione, consultacione, voluntate, volitione, fortitudine, & temperantia, quæ omnia ad duas partes referuntur: ita ut prior ad generalem virtutis doctrinam pertineat; quæ habitus est electius *τέχνη τελείωσης*, ad quam particulam explicandā necessaria est cognitio *τέχνης*, voluntarij, & *ἀνάγνωσις*, & inuoluntarij; posterior autem ad fortitudinem & temperantiam, de quibus in fine libri sigillatim.

*Ad Cap. primum.*

**V**IT laudantur & vituperantur quæ sponte facimus; sic datur venia iis quæ inuiti vel coacti præstamus. Dicuntur inuoluntaria quæ fiunt vi, vel ignorantia. Violentum est cuius principium est extra rem quæ vim patitur, ita ut res siue agens siue patiens nihil ad illud conferat concurrat-ve, ut vento vel tempestate ferri eō quod nolumus. Quæ fiunt metu maioris mali, vel causa honestatis, ut proiicere merces in mare metu naufragij; aliquid indecorum & turpe agere ob salutem parentum. Ea mixta sunt, id est, partim voluntaria, partim inuoluntaria. Simpliciter enim & absolutè sunt inuoluntaria; at hīc & nunc & positis talibus circumstantiis & periculis sunt voluntaria. Quædam sunt

*venia*

# DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

7

venia digna , quædam excusationem non habent , ut parentem necare : potius enim mors oppetenda est .

*Ad Cap. secundum.*

**D**ocet , id non sponte fieri , quod fit ~~in ignorantia~~ , per ignorantiam . id verò inuitè fieri , quod dolor & pœnitentia subsequitur . Itaque qui ita per ignorantiam agit , ut eum facti pœnitentia , inuitum egisse ; qui verò per ignorantiam ita egit , ut tamen eum postea non pœnitentia , egisse non spōte . Est autem aliud agere per ignorantiam ; aliud agere ignorantem ; Agit ebrius vel iratus dum interficit aliquem , ignorans ; imò improbus quisque & peccator ignorat quæ agere & non agere oportet , sed non agit per ignorantiam ; sed per ebrietatem , vel iram . Ignorantia autem rerum singularium ; circumstantiarum & facti , ut loquuntur , reddit actionem inuoluntariam ; præsertim si actionem antecessit , ut si quis hostem ferire putans , filium interficiat ; et si dolor & pœnitentia subsequatur . alioqui ignorantia iuris legumque vniuersalium , quas unusquisque scire tenetur , itemque ignorantia concomitā factum , ut in ebrio , in vicio sunt ; nec actionem faciunt inuoluntariam .

*Ad Cap. tertium.*

**D**efinit , ~~in ignorantia~~ , spontaneum , id cuius principium est in agente , res singulas , in quibus actio consilit , cognoscente . Statuit quæ ira & cupiditate fiunt , non reæ dici esse inuoluntaria .

*Ad Cap. quartum.*

**A**git ~~in ignorantia~~ , de consilio siue electione : quam omnem statuit esse voluntariam , ipsum tamen voluntarium siue spontaneum latius patere ; cum sit in pueris & animantibus , in quibus non est electio . Item repentina , id est , quæ subito ac promptissime fiunt , licet sint spontanea , non tamen esse ex consilio siue electione . Deinde docet , electionem non esse cupiditatem , nec iram : hæc enim conueniunt brutis , & aduersantur consilio : neque voluntatem , ~~per se~~ ; quia consilium est possibilium ; voluntas impossibilium ; ut immortalitas : & consilium siue electio est mediorum , id est , eorum quæ ad finem conducunt : voluntas autem est finis . nec denique opinionem : quia opinio est contemplabilem , æternorum , veri , falsi ; consilium verò est eorum quæ à nobis fieri possunt , & quæ bona vel mala sunt . Est ergo electio de genere eorum quæ sponte fiunt , sed cum ratione & intelligentia .

*Ad Cap. quintum.*

**D**ocet initii consilium de iis de quibus vir mentis compos , non stolidus , consultandum esse iudicat , non de æternis , nec de conversionibus Solis , nec de consti-

tutionibus anni , non de pure fortuitis , vt thesauri inuentione ; non de alienis , & quæ ad nos non pertinent ; sed de iis quæ cùm sub actionem cadant , in nostra potestate sunt sita , neque semper eodem modo fiunt , itavt incertus sit eorum exitus , sintque non fines , sed media ad fines obtinendos . Concludit , quod cùm id de quo initur cōsilium , sub deliberationem & appetitionem cadat ; consilium esse earum rerum quæ in nostra potestate sunt appetitionem , ex consultatione prouenientem . Nam simulque consultatio habita fuit , executionem appetimus .

*Ad Cap. sextum.*

**S**Tatuit , voluntatem esse finis . Item voluntatis simpliciter obiectum esse bonum , illudque verum ac perse ; licet per accidens , & respectu huius aut illius voluntatis male affectæ bonum apparet & futatum & specie tenus , possit eiusdem obiectum appellari . Quod illustrat exemplo medico . Vnusquisque autem iudicat , ut affectus est .

*Ad Cap. septimum.*

**D**Ecernit , virtutes & vitia in nostra esse *Vitia & virtus sūt in nostra potestate & arbitrio . Hinc iure legis latores vitia castigare , virtutes remunera-* *re : ad has excitare & adhortari : ab illis potestate . auocare . Quæ officia profecto inania essent & ridicula , si vitia & virtutes in nostra non essent potestate .*

*Ad Cap. octauum.*

**C**olligit brevi epilogo quæ hactenus *Quoad de virtute docuit . Simulque annotat actionem , non quoad habitum ; nisi initio .* nos actionum siue honestarum siue vicio- sarum dominos esse , à principio ad extre- mum , cùm singula cognoscimus ; habituum non item . horum enim solùm principium in nostra esse potestate .

*Ad Cap. nonum. mē dīcīas.*

**S**ingularum virtutum doctrinam ordi- tur à fortitudine , quam definit medio- critatem *mē q̄c̄s y 3app̄ , circatimores & au- n̄ dācias . Est autem timor , mali expectatio . Metuimus infamiam , paupertatem , mor- bum , mortem , aliaque mala : sed non in omnibus vir fortis versatur . Neque enim timere oportet ; quæ à vicio non nascuntur , & quæ culpa nostra non contrahuntur . Cer- nitur fortitudo in metu magis quā in au- dacia , id est , in iis quæ incutiunt formidi- nem , quā iis quæ pariunt audaciam . Gau- det virtus difficulti : Vir fortis patienter as- petrīta quæque tolerat ; ut mortem : quæ *q̄c̄p̄ta- nihil terribilis , sed mortem gloriosam , m̄ , sūt- quæ non ex morbo , non ex naufragio , aut simili casu est , sed quæ in bello honeste pro patriæ defensione appetitur . Talis enim mortis pericula à viro forti non metuuntur .**

*Quarum rerum sit consilium .*

*Ad Cap. decimum.*

**V**irum fortē esse imperterritū, impavidūque; quædān tamen timere, sed ut oportet, & ratio postulat; quædam etiam perfēre, sed honesti causā: confidere etiam & aggredi, sed ut par est. Hic enim est virtutis finis. Qui nihil metuunt, ne terræ quidem motū, nec procellas, quales aiunt esse Celtas, siue Gallos, eos infanos esse, vel doloris expertes. Qui nimium cōfidunt, *mei τὰ φόβοις*, in formidolosis, esse *ἀρετής*, audaces, arrogantes, & fortitudinis affectatores, præcipites, in ipso tamen periculo tardiores ac pæne deficientes: fortes contrā, in ipsis factis acres esse & celeres.

*Ad Cap. undecimum.*

**V**ersari fortitudinem circa ea quæ audaciam mouent, & terrorem incutiūt. *μαλακίαν τὸν τὸν τὸν επίνεαν, μολλίσ ανημι* esse, laboriosa fugere. Veram fortitudinem eam esse, quæ suprà descripta est. Alias singi species fortitudinis, ut ciuilem, quâ ciues fortes dicuntur, quod ad pericula subeunda incitentur pœnis, probris, honoribus; coætam, quâ qui aliorum Imperio subsunt, arma sumere coguntur: sed hæc species fortitudinis & similes non sunt legitimæ.

*Ad Cap. duodecimum.*

**I**n formidolosis & terribilibus versari magis *τὸν αἰδεῖαν*, quâ in iis quæ audaciam præstant. ideo fortitudinem dici rem laboris & molestiæ plenam, & iure laudari; cùm difficilius sit res molestas toleranter pati, quâ iucundis abstinere. Itaque fortē virum in dolore magis, quâ in timore iudicari. Eum interim animo delectari, licet corpore crucietur. Quanquam fieri potest ut mortem molestè ferat, maximè que doleat, cùm sibi moriendum esse videt, non ob ignauiam, aut mortis honestæ metum; nunquam enim fortis à rectâ ratione discedit, sed quia se vitâ dignissimum esse cognoscit: est enim sui conscientia virtus.

*Virtus sui* & quia videt se maximis bonis spoliari, & est conscientia. se virtutum ysu deinceps priuatum iri: quod verè molestum est.

*Ad Cap. decimumtertium.*

**A**git reliquo libro *mei σωφρονίας*, de temperantia, quam definit hoc capite mediocritatem *mei ιδεώς*, *κατάντης*, circa voluptates & dolores, siue orbationes voluptum: sed circa voluptates, perse; dolores, per accidens. circa voluptates inquam, non animi, sed corporis, præsertim eas quæ tactu & gustu percipiuntur; quæque ad gaudia & res venereas pertinent, & quas communes cum belluis habentius.

*Ad Cap. decimumquartum.*

**V**ocat intemperantiam *ἀκόλασιας*, quæ est altera vitiositas opposita Temperantiae: Intemperantem *ἀκόλασον*, quem definit eum qui ita conseq̄tatur voluptates, &

suis trahitur cupiditatibus, ut dolore afficiatur, maximè cùm iis potiri nequit, & cùm eas etiam concupiscit. Semper enim coniuncta est cum dolore cupiditas. Tuni alteram explicat vitiositatē, quam, licet proprio nomine careat, *ἀνεμονίας*, quasi diceres, *μετὰ λύτρων* stuporem, vel sensus carentiam, appellat: *τοῦ ἀνεμονίας*. *τὸν εἴσασθαι* *εἰσαγόνα*.

*Ad Cap. decimumquintum.*

**I**ntemperantiam magis voluntariam esse, quâ sit *ἀντίτητα*, ignauia ostendit; quod illa voluptatem sectetur, hæc fugiat dolorem: voluptas autem magis sit voluntaria. vnde statuit intemperantiam esse turpitudinem & foediorem ignauiam. Admonet, nomen Græcum, *ἀκόλασος*, translatum esse à pueris male educatis & castigatis, ad significandum intemperantem: *ἀκόλασος* enim is dicitur, qui non emendatur, non coercetur, non castigatur. Intemperans autem ægræ ac difficulter emendatur.

#### Liber quartus Ethicorum.

**N**ouem habet capita, vel, ut aliis placet, quindecim. Prior distinctio magis arridet; Sic enim singulis nouem capitibus commodè tractantur singulæ virtutes. 1. Liberalitas. 2. Magnificentia. 3. Magnanimitas. 4. Modestia. 5. Mansuetudo siue Lenitas. 6. Affabilitas. 7. Veracitas. 8. Urbanitas. 9. Verecundia, quæ tamen postrema propriæ virtus non est. Qui capita quindecim faciunt, tria consumunt in magnanimitate explicanda; tria in Magnificentia; tria in Liberalitate. Summa omnium est, *τὸν ἀνεμονίαν*, Liberalitatem esse πέντε εὐελευ-  
mediocritatem *mei χρήματα*, circa pecunias *δεσμόντος*. & dandas, & accipendas: sed potius dan-  
das: beatius enim dare quâ accipere. Li-  
beralem bono animo & optima quæque largiri, quibus oportet, & quomodo; Difficulter diuitem esse. Liberaliorem esse, qui bona à parentibus relicita habet, quâ qui labore ea comparauit. Vitiositates libe-  
ralitati oppositas esse *ἀνεμονίας* prodigalitatem *ἀνελευθερίας* in excessu; & *ἀνελευθερίας* auaritiam in de-  
fēctu. Prodigum meliorem esse auaro, pluribus prodesse, facilius emendari.

Magnificentiam *τὴν μεγαλοφρονίαν* versari μεγαλοφρο-  
in largitionibus, magnisque sumptibus & *τιμα*,  
impensis publicis, ut quæ fiunt ad Deiglo-  
riam, cuiusmodi sunt templa, sacrificia, &c.  
magnifico opponi βάσανον, superbū, in-  
solentem,

# DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

9

*solentem*, qui in res parvas, pecunias nimias stolidè insumit, & *μικροφύτην* sordidum.

*μορθολόγου*.  
22.  
Magnanimitatem τὴν μεγαλεψυχίαν, esse mediocritatem circa magna, id est, circa summos honores, pro recta ratione expendendos & prosequendos. Magnanimum esse qui se recte & meritò dignum iudicat summis quibusque bonis & honoribus cùm reuera iis sit dignus. Huic opponi οὐλίστρον, stolidum, & χαλών, aut superbū, qui se immeritò dignum credit summis honoribus. Itēni *μικρόφυτον*, pusillanimem, qui se minoribus dignum quam mercatur, existimat.

*Modestia.* Modestiam, quæ proprio nomine caret, versari circa honores mediocres pro recta ratione expedendos. Eadem esse rationem modestiae ad magnanimitatem, quæ est liberalitatis ad magnificentiam. Modestiae opponi φιλοποιίαν, ambitionem: & αἰσιοποίαν, honoris nimium contemptum. Mansuetudinem, τὴν φρεγίην, esse mediocritatem μείογεας, circa iracundiae motus, quâ facilè & suauiter cum aliis hominibus versamur. Huic opponi ὀργήστην, iracundiam; & αρρενοῖαν, nimiam lenitatem. Qui irascuntur, alios quidem esse ὄργιλος, qui citò irascuntur, & citò placantur; alios ἀρρενοῖος qui supra modum omnibus ex causis, & celeriter irascuntur: alios *μηρύς*, amaros, qui diu seruant iram, ac pñne sunt implacabiles. Porto iram placari vltione: cùm vltio doloris loco voluptatem afferat: eos verò χαλέποις, asperos, difficiles, saeuos, appellari, qui cùm non debeant, grauius & diutius irascuntur, neque placantur, nisi iniuriam vlti sint. Hos ait maximè māsuetis, & clementibus opponi, & communis hominum vitæ ac consuetudini non esse idoneos.

*Affabilitas.* Affabilitatem, mediocritatem esse in conuictu & vitæ consuetudine, tam secundum sermones & dicta, quam actiones. Huic opponi adulacionem, & morositatem: adulari eos qui nimium laudant, neque unquam contradicunt, qui ideo dicuntur ἀρετοῖς; eos verò esse morosos, qui nimis reprehendunt, suntque contentiosi & perniciaces καὶ δύσκολοι.

*Veracitas.* Veracitatem esse mediocritatem, qua quis vita, factis & verbis verax est, καὶ ἀληθεύτης. Itavt ea quæ habet ingenuè & candidè confiteatur, neque ea verbis augeat, aut extenuet. Contra hanc virtutem peccari generatim mentiendo, & verum nimis reticendo; speciatim verò & in rebus propriis, per arrogantiam, plura & præclaras quæque sibi præter rationem attribuendo; & per dissimulationem, ea quæ habentur, negando, vel extenuando.

*Urbanitatem*, εὐπεπλανίαν, esse ludicræ & Tom. 3.

iocostæ conuersationis virtutem, siue mediocritatem in ludis & iocis, (ludi autem actionum, ioci sunt verborum,) & qui hac virtute sunt prædicti, dici εὐπεπλανῆς, ψυχῆς, urbanos, dexteros: his verò opponi βωμολόγους, scurras, Gallicè, bouffons. Item ἀγέροις καὶ σκληροῖς, rusticos, agrestes, insulsoſ.

Verecundiam passioni similiorem esse audī. quām virtuti; illam esse φόβον τῆς αἰδοξίας, metum infamiae, adolescentiæ conuenire & iuuentuti, quæ cùm passionibus agitetur, in multis peccat, à quibus pudore reuocatur. Ideo laudari pudorem in iuuenie, non in senectute, opponi verecundiæ impudentiam & stuporem.

Denique continentiam, quæ ἐκράτεια di-  
citur, non esse virtutem, sed quid virtuti ad-  
mixtum: quā de re postea.

## Liber quintus Ethicorum.

*Iratorum tres species.* Quid decim capita habet, vel, ut alij volunt, vndecim; partes autem quatuor. 1. est de iustitiâ. 2. de iure. 3. de æquitate. 4. questionem explicat, an quis possit sibi iniuriam inferre.

*Ad Cap. 1. 2. & 3.* Distinguuntur hac editione tria capi-  
ta, quæ tamen in unum redigit Pe-  
trianus. In illis statuit I. Aristoteles agere,  
μείοντες, καὶ αὔξεντες, de iustitiâ & iniusti-  
tiâ: item μείοντες, de iure, siue de iusto.  
Quo loco obseruabis, ius distingui à iu-  
sto, ut abstractum à concreto, & ius esse,  
æqualitatem debiti cum merito: iustum *Quid ius*  
autem esse ipsum debitum, ut est merito & iustum.

2. Definit iustitiam habitum animi, per  
quem res iustas faciunt volūntque homi-  
nes. καὶ θεωρεζοῦν: iniustiam contrà, ha-  
bitum, quo αὔξεντος, iniustas res agunt, & vo-  
lunt.

3. Monet obiter, facultatem & sci-  
entiam esse contrariorum; habitum mōra-  
lem, v. g. virtutem, non sic.

4. Ut iustus & iniustus duobus modis  
dicuntur; sic dici iustitiam & iniustitiam.  
Iniustum verò dici, vel qui leges violat; &  
hic vocatur παρεγρύπος: vel qui plus assumit  
sibi, quam par sit: & hic vocatur πλεονεκτε-  
ς καὶ αὔξεντος. Iustum, totidem modis, ius ve-  
rò esse πὸ νόμου, quod lege sancitum est,  
καὶ πὸ ιστορίας, & quod æquum est.

5. Iustitiam unam esse generalem & le-  
galem; quæ scilicet refertur ad bonum ge-  
nerale & publicum, legesque seruat, &  
respicit: & hanc esse præstantissimam vir-  
tutum. Itavt οὐτε τελεός, οὐτε ιδεός, οὐτε δινυσός:  
neque Vesper, neque Lucifer tanta homines

b

admiratione efficiat: Imò & de ea dici soleat  
celebris versiculus:

*Et si diximus omnibus nos aperte omnes,  
Iustitia in se virtutes continet omnes.*

Particu-  
laris.

Alteram particularem, quæ non virtus uniuersa est, vt legalis; sed pars virtutis, id est, species aliqua virtutis: per quam redditur vnicuique quod suum est, nec plus assumitur boni, aut minus mali, quām par sit, in iis quæ ad secundam vel aduersam fortunam pertinent.

*Ad Cap. quartum & quintum.*

Iustitia  
particula-  
ris distri-  
butiva.

**E**X his duobus, vnicum facit caput Perionius, quod est suo ordine secundū. In illis igitur aperitur distinctio vtriusque iustitiae, legalis scilicet & particularis. Tum diuiditur particularis in distributuam, quæ honores vel pecunias iis distribuit, qui eiusdem reipublicæ communione coniuncti sunt: & commutatiuam, (quod genus vocat Aristoteles, *τὸν τοῦ παναθηναϊκὸν διορθωτικὸν*,) cuius duæ sunt partes, pro ratione contractum, siue *παναθηναϊκόν*; contractus enim alij sunt voluntarij, vt venditio, emptio, mutuum, &c. alij inuoluntarij, qui vel clandestini, vt furtum, adulterium; vel violenti & aperti, vt verbera, mors.

Communi-  
tativa.

*Ad Cap. sextum, mei dixit.*

Aequali-  
tas est re-  
rum: iusti-  
tia, homi-  
num.

**A**git de iusto siue de iure, quod docet Aesle æquum siue æquale, atque adeo medium inter iniqua, plus scilicet & minus. Si enim iniustum est iniquum, iustum æquum necesse est. Deinde statuit ius consistere in analogâ quadam seu proportione, & in quatuor saltē versari, in rebus scilicet duabus, & personis duabus, rationem siue proportionem aliquam inter se habentibus. Et itis quidem, vt æqualitas est, versari circa res duas, plus nempe & minus; vt verò ius est, inter personas duas, quia vt æqualitas, *ἴσοις*, ad res pertinet; sic iustitia ad personas. Sed & ius esse analogum, & in proportione consistere probat, ex ratione iustitiae *ἀναλογίας*, distributiae, quæ sum cuique tribuit, *καὶ αἷς*, pro dignitate personar. Tale enim ius *ἀναλογία*, dicitur quanquam ratio hæc locum non habet in iustitia commutatiua, siue *ἐπιμορθωτικὴ*, quæ non personas respicit, sed æqualitatem rerum. Annotat obiter analogiam esse non tantum in numero monadico, id est, mathematico, à rebus separato, quem vocant numerum numerantem, vt sunt vnum, duo, tria: de quo, lib. II. Metaphys. qui haec tenus falsò habitus fuit. 13. Sed etiam in numero omnino non monadico & rebus inharente: qui dicitur vulgo numeratus, vt est hominum multitudo, vel rerum aliarum. Probat, quia ubi *ἴσοις*, æqualitas, ibi est analogia, siue proportio: at in utroque illo numero est æqualitas.

Quid nu-  
merus  
monadi-  
ens.

*Ad Cap. septimum.*

**S**iuit, proportionem siue analogiam

*Propor-  
tio  
Geometri-  
ca.*

iustitiæ distributiæ esse Geometricam;

commutatiæ, Arithmeticam. Est verò

*Propor-  
tio  
Arithme-  
tica.*

Geometrica proportio ea in quâ ratio seu

rationis comparatio; qualitas item & cir-

cumstantiæ considerantur: Arithmeticæ, in

qua spectatur quantitas, & res ipsa simpli-

*Propor-  
tio*

citer & præcisè, vt cùm numeri inter se

comparati æqualiter distant. Vt 2. 3. 4.

*Propor-  
tio*

vnitate. Proportioni Geometricæ & Ar-

*Propor-  
tio*

ithmeticæ addi solet Musica siue Harmo-

*Propor-  
tio*

nica vnde triplex medium. Geometricum,

*harmoni-*

in quo seruatur eadem ratio maioris ter-

*ca.*

mini ad medium, quæ medij ad extremum,

vt 5. respectu 4. & 9. Arithmeticum, quod

æquè ab extremis distat vt 9. respectu 6. &

12. vel 3. respectu 2. & 4. Musicum, quod

eadem maioris numeri parte à maiori nu-

mero superatur, quâ superat minoris nu-

meri partem minorem. Vt 4. respectu 3.

& 6. Exemplum proportionis Geometricæ

est eiusmodi, vt se habent 2. ad 4. ita

4. ad 6. Harmonica autem analogia est.

senarij. v.g. ad quaternarium, & duodenarium. Quâ enim numeri maioris parte su-

peratur senarius, nempe media maioris nu-

meri, à maiori numero, scilicet duodena-

rio, eadem, id est media minoris numeri,

ipsum minorem numerum superat, scilicet

duabus vnitatibus. Sic ergo hæ proportiones Iustitiae applicantur, vt Commutatiæ

quidem, quæ in contractibus consistit, conueniat Arithmeticæ; quæ æqualitatem re-

rurum præcisè considerat, nec rationem ha-

bet personarum aut dignitatis. Distributi-

æ autem quæ honores & præmia distri-

buit, Geometrica; quæ personas respicit,

merita, dignitatem. Legali denique rebus

que politicas ac publicis Harmonica. Re-

petit verò Aristoteles, ius esse medium

quoddam; & configere homines ad iu-

dices, qui sunt quasi ius animarum, vt ad

*μετρίους*, vel *μετρίους*, id est, mediatores, qui

scilicet res exæquent, & quasi lineam diui-

dentes; æquas partes cuique tribuant, *διχούς*.

Vnde ius, Græcis dicitur, quia *διχαῖς*, id

est, in duo æqualia diuisum (ac si diceres

*διχούς*) & *διχοῦ* iudex, quasi *διχαῖς* diuisor

in partes duas æquales. Æquale enim est

ius, vt quod medium est inter *τὸν ζητίαν*, & *τὸν κέρδος*, *δαμnum & lucrum*.

*Ad Cap. octauum.*

**R**efellit Pythagoreos qui dixerunt, *τὴν Ταλιονί*,

*Lex 74.*

siue Talionem, esse absolu-

tutè & simpliciter ius; itavt in lege Talio-

nis ius omne positum esse affirmarent. Est

autem Talio reciproca quedam percessio,

in eo posita, quod quis tantum pati debeat,

quantum egerit, tantum rependere,

*quantum*

In Talio-  
ne omne  
ius non est.  
  
Quo fine  
sunt pecu-  
nia, sine  
nummum.

quantum abstulerit. Talionem videtur probasse Moses cum dixit, Oculum pro oculo, dentem pro dente. Sed in Talione ius omne positum non esse statuit Aristoteles, docetque, illam nec ad iustitiam distributuam, nec correctionem posse referri. Et certè si magistratus aliquem percussit, non est ille referendus: ut si quis magistratum percusserit, non modò verberandus est, sed suppicio castigandus. In his ergo lex Talionis non habet locum. Imò nec in commutationibus, quæ fiunt per res non tales, sed diuersissimas, ut calceum, domum, panem, vinū. Neque enim permittatur panis, pane; vinum, vino. Hoc loco annotat Aristoteles ad permutationes commodissimè inuentum fuisse nummum, ut nempe sit rerum omnium quæ permutantur, mensura: Permutationem autem causam esse indigentiam sive usum, τὸ γένερον. Nummum Græcè ρόπουα dici ἀπὸ τῆς ρόπου, à lege, quod non natura sed lege valeat. Talionem tamen locum aliquem habere in commerciis, sed prius æqualitatem fieri debere. Hoc capite obseruat Aristoteles templum Gratiarum in propatulo urbis loco constitui solere, ut fiat remuneratio. Ceterum de nummo plura cap. 9. lib. I. Politicorum.

## Ad Cap. nonum.

Injustitia  
opponitur  
unicus in-  
justitia  
habitus.

**C**olligit, iustum actionem esse medium inter facere & pati iniuriam. Iustitiam esse mediocritatem, non ut virtutes cæteras, sed quia sit medij; iniustitia autem extremitum. Nam duas distinetas vitiositas non habet iustitia, in quarum medio consistat, ut aliae virtutes, nempe liberalitas quæ inter prodigalitatem & auaritiam; fortitudo inter audaciam & ignauiam media est. Iniustitia siquidem vitium est, utrumque extrellum, scilicet plus & minus, nimirum & parum complectens. Quare licet Iustitia ratione obiecti, ut loquuntur scholæ, extrema habeat diuersa, nempe plus & minus, inter quæ ius consistit; ratione tamen habitus oppositi & vitiosi, unicum habet extrellum, scilicet iniustitiam; à qua iniuria est propriè dicta.

## Ad Cap. decimum:

**S**tatuit, cum qui iniuriam infert, tunī dici iniustum, si sponte & consulto ac sine vlla animi perturbatione intulerit; si verò non consilio, nec certo animi iudicio; sed ex quadam perturbatione fecerit, cum quidem reuera iniuriam intulisse, & iniuste fecisse furando, adulterando, sed nondum ideo iniustum esse aut dici debere: deinde de eo iure hinc se aetorum declarat, quod est absolutè & simpliciter tale, estque idem cum politico. Politicum autem ius, (quod latius patet apud Græcos, quam Giulio

apud Latinos; est enim politicum ius apud Græcos id quod commune est hominibus cum & ri- quadam societate coniunctis; ciuale vero apud Latinos, est quod cuiusque ciuitatis est proprium: Sic vendere, emere, &c. dicuntur Græcis politica; ciuilia Latinis non item: nisi vendere tanta mensura, tali tempore. dicitur etiam ciuilis esse Romanis toga, pallium Græcis, & alia vestimenti forma aliis ciuitatibus, ) ait esse illud, quod seruatur inter eos, qui liberi cum sint & æquales proportione, vel numero, eadem ciuitate & legibus vntuntur, & societate quadam coniuncti sunt, ut rerum ad degendam vitam necessiarum copiis per se abundant. Tum ius esse, ubi lex est; legem, ubi iniustitia: Vbi autem iniustitia, ibi esse & iniuriam. Facere iniuriam, esse, sibi plus eorum quæ absolute bona sunt, tribuere, & minus eorum quæ absolute mala. Hominem ideo non imperare, sed legem: eum qui præstet, esse iuris custodem & æqui. Iustitiam esse totam in bonis alienis. Ius ιστορία herile, id est, domini in seruos, & οὐλακή μετεκόντων, pannis in filios, politico esse simile, τὸ δικαίων. non idem, quia non est locus iniustitiae, in rebus propriis: seruus autem est res domini propria, filius patris. Inter quos lex est communis, inter eosdem esse imperandi & parendi æqualitatem. Inter virum & uxorem magis quam inter patrem & filios, herum & seruos, iuris esse communitatem.

Ius politicum aliud esse naturale, quod vbique eandem vim habet per se, non quod ita visum sit, vel non visum hominibus. Aliud νόμοι, legale vel legitimum, quod lege constitutum est, vel quod ab initio nihil intererat, an sic, vel aliter fieret, cum autem constitutum semel fuit, iam interest ut sic vel sic fiat, aut non fiat: ut Loui capram, non duas oues immolare, & cætera quæ à Populis scita sunt & decreta.

Porro pluribus modis posse alteri ab altero damnum inferri. 1. per inscitiam & inopinatō, καὶ παραπόνηση, & hoc dicitur, αἰνῆση, infortunium. 2. Non inscienter, nec inopinatō, sed tamen sine malitia, nec de industria, & hoc dicitur αἰνῆση, peccatum. 3. Scienter quideam sed non consulto, aut ex antegressa deliberatione, ut cum ex ira, aliis alium lædit: & hoc est αἰνῆση, id est, iniuste factum, sive iniuria. Non tamen ideo qui sic alium lædit, iniustus & improbus dicitur, quia non de industria fecit, quod accommodatè lingua Gallica dicitur, à dessein, de guet à pens, de sang froid; sed ex animi perturbatione, & iracundia. τὸ γὰρ ἐν δύσκολῳ ἡ τὸ περιστατικόν. Que ex ira fiunt, non de industria facta judicantur. Ratio est: Quia qui iratus

Intellige  
bona for-  
tuna.

Ius politi-  
cum aliud  
naturale:  
aliud le-  
gale.

Infertur  
damnum  
multis  
modis.

*Quis iniurias.*

agit, non prior læsit, sed qui primò irritauit.  
4. Scienter deliberatè, consultò, & in cognoscitur; & qui sic alteri damnum infert, is propriè aduersus, & malitiosus, iniustus, improbus, iniurijsque dicendus est; ut contrà, qui sponte & volens, & consultò iustè agit, iustus. Porro quæ præter voluntatem fiunt, alia esse oportet, digna venia, ut quæ fiunt si ignorantes per ignorantiam; alia non, ut quæ non per ignorantiam fiunt. Quæ de re lib. 3. Ethic. hoc tamen loco venia dignas esse actiones eas significat Aristoteles, quæ ex perturbatione fiunt & animi impetu; licet enim scienter fiant, non malitiosè tamen, & male deliberato animo fuit. Quod diligenter est obseruandum. Ipsi enim iurisperiti solent iram, amorem, similésque animi motus quodammodo excusare, leg. aut facta ff. de pœnis. l. quicquid ff. de regulis iuris.

*Ad Cap. Undecimo ad decimumquartum.*

**E**xpli cat quasdam quæstiones. 1. Est an possit quis sciens volensque iniusta pati. Certè potest. Nam in contractu potest quis minimè coactus, deteriora sibi assu mere, & meliora alteri relinquere sciens, volens. 2. An quis iniutiam pati possit sciens, volens? Certè non potest. Nam iniuria nocet, malumque infert ei cui inferatur. At nemo vult sibi noceri, aut malum, ut malum est, inferri; nemo enim malum cognitione sub ratione mali appetit; ergo nemo iniuriam sciens volensque pati potest. Non ergo volenti fit iniuria, si voluntas à prudentia directa est; si vero voluntas ab imprudentia & hebetudine oritur, fieri potest & sape fit, in voluntariis contractibus, iniuria volenti: sed qui vult per imprudentiam tantum, siue per ignorantiam, & hebetudinem mentis, is non propriè censetur velle: voluntatis enim actio, siue electione à consilio & cognitione mentis dependet. Hinc in brutis, pueris, stultis & phreniticis non est vlla actio voluntatis propriè dicta. 3. An qui iudex alteri tribuit præter eius dignitatem, & plus quam mereatur, iniustè agat; an is qui accipit adiudicata? 4. An quis sibi facere possit iniuriam? Dicendum ad tertiam; utrumque, & qui dat, & qui accipit, posse agere iniustè, si adsint iniustitiae conditiones. Quanquam constat, cum, qui plus distribuit, facere iniuriam; eum vero, qui plus accipit, non semper. Quartam quæstionem examinat capite ultimo. Monet tamen in 13. facile adeo non esse uniuicue, ut verè ac perfectè iustus sit, vel iniustus, quia hæc ex habitu dependent, qui longa assuetudine comparatur. Concludit, inter eos esse iura, inter quos est, eorum quæ absolutè bona sunt, τοις απλωσις, communis usus; & in quibus potest excessus esse, vel defectus. Vbi per absolutè bona in-

*Qui vult  
per iniuriam,  
non propriè  
vult.*

telligit bona fortunæ, ut suprà cap. 1. Idque ex usu loquendi. Quod ratio Gallicæ locutionis pulchrè indicat. Dum enim hominem aliquem diuitem esse significamus, ita solemus loqui, il a beaucoup de biens. Etenim, *bien*, vel, *les biens*, in plurali simpliciter & sine adiuncto significant Gallis, bona fortunæ, siue diuicias.

*Ad Cap. decimumquartum.*

**A**git mei èmeritus, & èmeritus, de æquitate, & æquo bono, docetque quò modo se habeat æquitas ad iustitiam, & èquum bonum ad ius. Statuit, ea non omnino esse idem, neque tamen esse diuersi generis. æquum bonum enim esse ius melius aliquo iure: sic vero dici melius, ut non sit alterius generis: Ad idem enim utrumque referatur. Sed cum nō distinguo, & nō èmeritus ambo bona sint, melius esse, nō èmeritus, quod est æquum bonum, sic à iure legali differens, bonum est quòd sit eius iustitia, correctio, emendatio, benigna interpretatio, supplementum. Nam quod lex siue ius legale prætermittit, (quia enim generaliter prescribit & absolutè, fieri non potest, ut aliquid non prætermittat ob actionum, rerumque humanarum varietatem, & infinitatem; cum de omnibus & singulis non possit certò & in genere quidquam statui,) id supplet, corrigit, ac benignè interpretatur æquum bonum. Præsertim cum nō raro eueniat, summum ius, ut aiunt, esse summam iniuriam siue iniustitiam: Neque oporteat semper sequi rigorem legis, ut loquuntur. Est ergo æquum bonum correctio legis, quatenus lex èmeritus dicitur, deficit in generali. Vnde æquitas iustitia quedam est, & is dicitur vir æquus & bonus, qui æquum bonum sequitur, neque durior est iuris interpres, siue expeditus, aut in deteriore partem iudicans, sed de summo iure eijsque rigore decedit, licet ipsa legenitatur.

*Ad Cap. decimumquintum.*

**S**oluit quæstionem cap. 12. propositan, San sibi quis facere possit iniuriam. Docetque, cum quis ipsum interficit, aut mutilat, iniustè agere, & iniuriam inferre Reipublicæ; quia leges violat; sed non sibi iniuriam facere; quia sponte agit; at sponte sua iniuriam nemo afficitur iniuria; vel, quod idem est, facit rei nolenti non sit iniuria. Illum vero ipsum, qui sibi manus infert violentas, ciuitatem iniuria afficere & principem, probat, quia in eum ipsa res publica animaduertit, multaque & ignominia afficit. Quærit postea an deterius sit iniuriam aut iniustum facere, quam accipere, vel pati. Respondet, facere, esse deterius. Concludit in nobis esse posse quandam iustitiae & iniustitiae formam, licet non propriè; quia iustitia est ad alium: sed impropriè & metaphorice respectu diuersarum partium, nempe rationis, iræ, & cu-  
*Qui se  
interficit,*  
*publicæ.*  
*In nobis  
est aliqua  
iustitiae  
species.*

piditatis.

preditatis. Si enim ratio teneat imperium, & pareant cæteræ, ut seruus domino, filius patri, & suum quæque pars rectè exequatur officium, exurget iustitia; si vero partium una, quidpiam invita patiatur, lædaturque ab altera, fiet quid iniustum, saltem metaphorice. Sed de his, lib. i. polit. cap. 6. pulcherrime disserit Aristoteles, & Plato lib. 4. de Repub. & M. Tullius lib. 3. de Repub. Tandem extrema linea claudit tractationem de virtutibus morum: de quibus se hæcenus dixisse breui epilogo significat.

### Liber sextus Ethicorum.

**T**Redecim capitibus absoluitur, ubi de virtutibus mentis, prudentia, scientia, arte, intelligentia, & sapientia; quæ in mente ut in subiecto, sedéque propria resident. Hunc autem librum composuit Aristoteles, ut doceret accuratius, quid sit recta ratio, καρδια τοπος, cuius mentionem fecerat in definitione virtutis, eo quod recta ratio, id est, prudentia, virtutis omnis lex & norma censeatur. Potest vero liber hic in quatuor partes accommodatè distribui; itavt 3. sit de facultatibus animi. 2. De quinque illis habitibus mentis, siue virtutibus intellectualibus. 3. De prudentiæ partibus. 4. De fructu, utilitate & dignitate prudentiæ & sapientiæ.

#### Ad Cap. primum.

**S**Tatuit, dicendum esse de recta ratione, quia hæc medium virtutis præscribit inter nimium & parum. ut dictum est supra cap. 6. l. 2. Ethic. nec sufficit generatim hoc monuisse, quod oporteat medium illud rectæ rationis amplecti. In practicis enim, ut in Therapeutica, id est, arte curandi morbos, non sufficiunt præcepta generalia; sed specialia enotanda sunt. Debet ergo speciatim & ex propriis notis recta ratio cognosci.

#### Ad Cap. secundum.

**V**T recta ratio cognoscatur, eius genus, nempe virtus ipsa, eiisque diuisio cognosci debet, itemque subiectum siue sedes rectæ rationis, nempe animus. Docet ergo hoc cap. Aristoteles, virtutes alias esse morales, alias mentales, της οἰκίας, της στρατείας, &c. ut lib. i. cap. vltim. & lib. 2. cap. 1. Tum animi duas etiam esse partes, unam rationis participem, ut est ipsa mens, perse; & veterque appetitus, sentiens scilicet & rationalis, participatiæ: alteram expertem, ut est facultas digerendi cibum. Et illam quidem esse adhuc duplēm, unam ἀναπομπικην, in qua vis est sciendi, & hanc versari in necessariis entibus. Quorum principia aliter habere non possunt: alteram λογιστικην, in qua vis est ratiocinandi, id est, deliberandi, siue

Particula in  
practicis  
sunt desig-  
nanda.

Diuisio  
virtutum.  
Diuisio a-  
nimis.

consultandi. τὸν δὲ λόγον τούτον: & hanc versari in contingentibus, quæ aliter habere possunt. Postea statuit agendum esse de optimo habitu seu virtute utriusque. His ita explicatis, tria in animo esse ait, quæ actionis & veritatis dominatum obtinent: Sensum, quicquidem principium non sit τὸν τοπον: mentem & appetitum. Deinde quod in mente affirmatio est & negatio; hoc in appetitu esse persecutionem & fugam: atque ut bonum sit consiliū (ad quod virtus moralis est destinata) debere rationē esse veram, & rectum appetitū: itavt quod ratio affirmat & decernit, hoc appetitus persecutatur. Montis Theoreticæ simpli- citer esse verum vel falsum, non practicæ, nec poëticæ siue effectricis: practicæ autem, veritatem, cum appetitu recto congruentem. Item principium effectuum actionis esse τὸν τοπον, consilium siue prælectionem. Consilij vero capiendi principium esse appetitum, & rationem eam quæ finem spectat, & ad agendum est comparata. Rei factæ non esse consilium, sed futuræ. Quod factum est, fieri non posse, ne diuina quidem virtute, ut factum non sit. Ambarum animi partium, quæ rationis sunt participes, opus esse veritatem: & qui habitus efficiunt, ut duæ illæ partes verum cognoscant enuntiantque, esse earum proprias virtutes, de quibus nunc dicendum.

#### Ad Cap. tertium.

**S**Tatuit esse quinque habitus siue virtutes mentis, quibus animus ἀνδρεῖ, verum sentit, percipit, dicit, enuntiat, vel affirmando, vel negando; nempe artem, scientiam, prudentiam, sapientiam, intelligentiam. Tum existimationem & opinionem posse falsum enuntiare.

Scientiam esse necessariorum & æternorum. Vel habitum demonstrativum, ut dictum est cap. 2. lib. 1. poster. Analyt.

#### Ad Cap. quartum.

**D**Istinguit τὸν τοπον, quod efficitur, ab *Façibile* deo quod cadit sub actionem, dicitur *differat ab* τὸν τοπον. Licet enim utrumque possit aliter habere, & nomine τὸν τοπον, contingentis, continetur: unum tamen, v.g. τὸν τοπον, ad mores pertinet, id est, ad virtutes vel vitia: alterum vero ad artes. Vnde τοιον, effictio, & τοπος, maximè differunt. ut & utriusque habitus.

Definit artem, habitum cum vera ratione coniunctum, & ad efficiendum aliiquid comparatum, ut est Architectura.

Inertia vero, habitum effectuum cum τὸν τοπον, falsa ratione coniunctum.

#### Ad Cap. quintum.

**A**git τοιον τοπον, de prudentia, quæ definit habitum cum vera ratione coniunctum, & ad agendum comparatum, circa ea quæ homini bona vel mala sunt. Dein-

de ait, prudentiam pertinere ad eam mentis vim, partemque, quae dicitur est siue *adjustrix*, opinatrix vel consultatrix, ut supra.

*Ad Cap. sextum.*

**D**efinit *naturam*, intelligentiam, habitudinem principiorum, quo scilicet veritatem & firmitatem percipimus axiomatum, siue propositionum indemonstrabilium, & immediatarum, quibus nituntur Scientiarum, & demonstratiuum conclusiones.

*Ad Cap. septimum.*

**A**dmonet, *ratio*, sapientiam, vulgo dici artis cuiusque excellentiam & virtutem: sed proprietatem & absolutam esse scientiarum *expresarum*, accuratissimam, & quae non in conclusionibus tantum, sed in principiis etiam diligenter occupetur. Ita ut sapientia sit intelligentia simul & scientia rerum prestantissimarum, *prudentia*, & veluti scientiarum caput & princeps, qualis non est Politica, nec prudentia. Vtraque enim spectat utilia, non Sapientia; quae tota est in rebus admirandis, difficultibus, ac diuinis.

*Ad Cap. octauum.*

**R**edit ad prudentiam, cuius gratia multa hoc libro de aliis habitibus, *magis* congeserat. Hanc ait versari in humanis de quibus consilium esse potest. Debere esse non modo de vniuersis, sed de singularibus. Quia actiones sunt singularium. Politicam & prudentiam esse ipsa eundem habitum; differre tamen essentiali quadam ratione, siue formaliter. Vtraque enim versatur circa ea quae homini bona sunt: vtraque est virtus intellectualis, in mente residens, ut in subiecto: quo sensu una non differt ab altera: sed usu & officio differt; quia politica rebus communibus consulit, prudentia priuatis. Ad politicam pertinere duplum prudentiam; unam, quae in condendis legibus versatur, & haec dicitur, *politicorum*: alteram, quae in legum executione; & haec retinet commune nomen prudentiae politice. Sed & prudentiam maxime eam esse, qua unusquisque sibi vni prospicit; atque ea dici nomine etiam communi, *prudentia*. Illustrum vero prudentiarum aliam esse, *natura*, qua domus gubernatur; aliā, *legis*, qua leges conduntur; aliam *scientiam*: cuius duæ sint partes, *adjustrix*, quae consultat, *adjustrum* quae iudicat.

*Ad Cap. nonum.*

**P**uer fieri potest mathematicus, non sapiens, nec *physicus*. **D**ifficile esse consequi prudentiam, & nosse quomodo suum quisque negotium gerat; ideo iuuenes fieri facile posse geometras & mathematicos, prudentes non item; quia nempe prudentia pendet ex usu, rebusque singularibus. Hinc a scientia distingui prudentiam. Est enim scientia vniuersalium.

*Prudentia multiplex.*

*Ad Cap. decimum.*

**A**git de partibus prudentie, quae ex eius officiis variis colliguntur. Est enim prudentiae deliberare, seu consultare, unde *euclisia*: iudicare, unde, *auisus*, intelligentia, vel solertia, vel sagacitas: & recte sentire, unde, *propositum*, sententia, & intellectus moralis, unde conscientia, *conscientia*. Denique. Hinc eorum virtus, qui cum parum consilio valeant, optimè tamen exequuntur, quod præceptum fuit; sed hec cum proprio nomine careat, commune retinet.

Statuit igitur, *naturam euclisiae*, non esse scientiam. Scientia enim non deliberat; nec opinionem; quia non est semper recta: nec *euclisia*, conjecturam; nec *algorismus*, sagacitatem; quia utraque fit celeriter, & sine deliberatione: *euclisia* autem fit *ergatis*, lente. Maturè enim & cum sufficienti mora temporis consultandum, licet citè promptèque sit exequendum. Itaque eucliam esse vim bene consulendi ac deliberandi de eo quod oportet; & quod utile est, & seruatis circūstantiis. Eam vero esse, vel absolutam, quae pertinet ad humanæ vitæ commune bonum, vel particularem & secundum quid, quae ad artes refertur, putà ad medicinam, vel artem militarem. Prudentiam autem esse veram *euclisia*, existimationem eius ad quod euclia dirigitur.

*Ad Cap. undecimum.*

**V**T ad certitudinem valet Eubulia, sic Synesis ad iudicandum per opinionem.

Statuit enim Aristoteles, *euclisia*, esse vim recte iudicandi, de iis quae ad prudentiam pertinent. Est enim hic *auisus*, inquit idem, quod *euclisia*, recta intelligentia, distincta tamen à prudentia, ut imperfectum à perfecto. Imperat enim præcipitque prudentia; Synesis siue intelligentia solum iudicat.

Statuit deinde, *naturam euclisiae*, sententiam, esse rectum viri æqui & boni, *et omnes*, (de quo supra l. 5.) iudicium: Viri, inquam eius, qui ad ignoscendum sit promptus & facilis ex æquo & bono.

*Ad Cap. duodecimum.*

**D**icitur, prædictos habitus eodem refiri, id est, ad actiones singulares dirigendas; & esse simul cum prudentia, nec ab ea diuelli posse. Prudentes enim esse, *auisus*, *euclisia*, *algorismus*. Eosdem habitus esse nobis naturales. Admonet obiter non minus esse assentiendum verbis & opinionibus expertorum, senum, prudentium; quam demonstrationibus, quae sunt *buses*. Credendū expertis senioribus.

*Ad Cap. decimum tertium.*

**Q**uæ hoc uno capite editio haec complectitur, ea duobus capitulis distinxit Perionius. Fortè expeditius. Sed nos editionem

*Sapientia est perfectio metis theoretica; prudentia, practica.*

editionem hanc sequimur. Adde quod parui sit momenti capitum diuisio, quæ ad cuiusque interpretis arbitrium fieri solet. Statuit igitur Aristoteles extremo hoc capite sapientiam & prudentiam esse per se necessariò expertendas: cùm sapientia sit intellectus theoretici perfectio; prudentia, practici: & ab illa dum in actu est, nascatur felicitas; ab hac, actio bona perficiatur. Licit enim moralis virtus finem honestum propositum habeat; prudentia tamen rationem modumque docet, propositum bonum obtinendi. Quare neminem verè prudentem esse, nisi qui bonus sit; neminem verè bonum, nisi qui sit prudens. Non esse verò prudentiam, sed calliditatem & versutiam, (quæ dicitur πεπίστας,) si quis ingeniosè ac subtiliter mediis utatur ad finem malum. Atque omnes quidem prudentes ideo dici σοφοί, solerter, non autem πεπίστας, callidos. Virtutem propriam esse, quæ bene agendi consuetudine comparatur, & recta ratione dirigitur; huic quodammodo similem esse virtutem naturalem, id est, dispositionem & propensionem ad bene honestaque agendum. Vnusquisque enim à natura proclivis est ad virtutem; sed virtutem illam naturalem imperficiam esse & rudem, nisi accedat acquisita, quam mens siue recta ratio dirigat. Si enim hæc abest, graues accidentes; quales fere iis eveniunt, quilibet corpore sint firmo, videndi tamen sensu priuantur. Ut ergo in mente doxastica, i.e. opinatrice, se habent δύναται καὶ φόροις, solertia & prudentia; sic in ea animi parte, quæ ethica dicitur, & ad mores pertinet, virtus naturalis, & illa principalis & propriè dicta; quæ posterior sine prudentia stare nequit. Hinc Socrates virtutes omnes, prudentias esse dixit; non quod omnis virtus verè sit prudentia, sed quod nulla sine prudentia, esse possit: cùm prudentia sit recte rationis moderatrix; sine recta autem ratione, nulla sit virtus. Quod si adest prudentia, aderunt & cum ea cæteræ virtutes, iuxta illud Poëtæ Iuuenalis, Nullum numen abest, si sit Prudentia. Concludit non esse Prudentiam Sapientia excellentiorem; quia hæc est mentis theoreticæ, illa practicæ. Et Prudentia imperat quidem & operatur in gratiam Sapientiæ, non ipsi Sapientiæ. Itaque Prudentia est propter Sapientiam; non contraria: itavthæc sit veluti domina & princeps; illa autem ministra: quam ideo vocat cap. 35. lib. 1. Magnor. moral. ἀντίστοιχον, præcipuam ministram Sapientiæ.

## Liber septimus Ethicorum.

**H**abet capita quatuordecim, iuxta Perionium, sed hæc editio ponit quindecim. Quorum summa in tres partes reducitur. 1. Est de virtute heroica. 2. De Continentia. 3. De voluptate & dolore.

## Ad Cap. primum.

**S**Tatuit, triplicem esse in moribus statum vitiosum & fugiendū, nempe πεπίστας, vitiositatem, αἰρεσίαν, incontinentiam, feritatem; triplicem, honestum & laudabilem, nempe αἰρετίῳ, virtutem vitiositati oppositam; εἰράτιαν, continentiam, incontinentiæ; αἴρετῳ ἡρωϊκῷ, οὐρανοῦ, virtutem heroicam & diuinam, feritati siue immanitatem. Heroicam virtutem esse habitum virtute communi longè prestatiliorem & excellentiorem, & veluti virtutis summum gradum, perfectissimum ac pene diuinum. Feritatem contraria, vitium deterrimum, & immanitatem belluina similem. Heroes dici qui virtute excellunt & bonitate præ ceteris; Feros & immanes, qui vitio fœdissimo, & humanæ naturæ maximè repugnantis sunt infames & odiosi. Sic Nero à crudelitate summa, vitiisque turpissimis, ferus & immanis iure dictus est; & humanæ naturæ pestis, monstrum, carnifex. Concludit dicendum τοις ἀκρασίαις, καὶ πακτυνίαις, καὶ τενεῆς, καὶ μετὰ ἐγκαταστάσιας καὶ καρπεῖας, de incontinentia, mollitie, luxu, & de continentia & tolerantia. Atque hos quidem habitus, ut & vitia opposita, sic se habere, ut nec sint omnino idem habitus, nec etiam diuersa genera constituant.

## Ad Cap. secundo ad duodecimum.

**D**ixerit de continentia, incontinentia, & iis quæ ad utramque pertinere videbatur, ab hoc capite usque ad undecimum: exclusiæ, Perionij; inclusiæ, huius editionis.

Statuit 1. continentiam & tolerantiam siue constantiam esse in bonis & laudabilibus: incontinentiam siue impotentiam, & mollietatem in malis & vituperandis. 2. Continentem permanere in recta sententia: incontinentem minimè. 3. Hunc mala quidem committere, sed viatum perturbatione; illum verò cupiditatibus, quas malas esse intelligit, non obtemperare. 4. Tum temperantem iudicari continentem, & constantem siue tolerantem. 5. Controuersum esse, an continens & constans sit temperans; & an prudens incontinens esse possit. 6. Alios dici impotentes siue incontinentes, quoad iram: alios quad honorem: alios quoad lucrum: qui videlicet in his tribus modis non seruant.

His ita suppositis, proponit miscetque, cum alio quam proposuit ordine dissoluimus.

varias de continente & incontinente dubitationes. 1. Est, an qui recte sentit, siue per opinionem siue per scientiam, incontinenter vivere queat, vel, quod idem est, agere impotenter, cum sciat non esse agendum. Respondet, impotentem facere impotenter; partim scientem; partim ignorantem. Scit enim in vniuersum, & in habitu, & secundum iudicium Theoreticum, (ut quidam loquuntur,) sed secundum iudicium practicum & ratione usus, id est, cum ad agendum venit, vel, ut alii dicunt, ad minorem propositionem quae est singularis, non esse male agendum, tunc dicitur immeabile, potens non scire; non scire inquam, ratione usus; quia scientia vniuersali, quam habet de non male agendo, tunc non vtitur, quasi ebrius esset vel dormiret. Vincitur enim & quasi inebriatur perturbatione.

2. An continentia & incontinentia versentur circa omnia? Respondet versari in voluptatibus & doloribus, ut & mollitem, & constantiam. 3. An intemperans sit deterior incontinenti? & an reciprocantur continentis & temperans? Respondet, intemperantem esse deteriorem; quia insanabilior est, permanetque in malo proposito, absq; pœnitentia: incontinentis vero non sic, sed pœnitentia ducitur: quare incontinentiam similem esse epilepticis paroxysmis, siue morbo sacro, vel comitali, qui non perpetuo aut continuo vexat affligitque, sed redit per vices siue paroxysmos, Gallicè, par accessus; intemperantiam vero, tabi, & hydropi, qui morbi sunt intermissionis expertes; cum perpetuo & grosso afficiant, sintque fere insanabiles. Ex quo sequitur continentem & temperantem differre, nec omnino reciprocari: cum hic sit illo perfectior. 4. An continens in opinione persistat? Respondet persistere in recta sententia per se; per accidens in opinione quavis, atque adeo continentem esse per accidens pertinacem. Quisquis enim per se in quavis opinione perseverat, vere pertinax est, & inservit. Esse vero cum pertinacem, qui propriæ sententiæ amans est, vel qui indoctus, vel qui agrestis. 5. An qui incontinentis est, simul sit & prudens? Respondet, fieri hoc non posse. Quia prudens ut sic & propriè est vir bonus; & ad recte agendum idoneus & promptus; incontinentis minimè. Posse tamen incontinentem esse solerter & callidum; sicque aliquatenus videri prudentem; quia, solertia & calliditas mentiuntur prudentiam. Esse interim incontinentem & ciuitati similem, quæ bonas leges statuat, sed nullam seruet; nempe quia modo quodam scit quid agat, & cuius gratia.

*Intemperans est deterior incontinenti.*

*Incontinentia similis epilepsie; intemperantia ex hydropi, ex cap. 9.*

*A Cap. duodecimo ad finem libri.*  
**A**git meus idem & natus, de voluptate & dolore. Quorum considerationem ait esse politicam & ethicam. Quia virtutes & vitia in voluptatibus & doloribus versantur, & vita beata voluptatem comitem habet. Vnde *nō μαρτυρεῖ*, beatum Græci nominauere, *ἀντὶ τῆς τάλασσας χαρίειν*, à maximè gaudendo. Exponit ergo varias de voluptate sententias; statuitque voluptatem aliquam, si non omnem, esse in genere rerum bonarum; quia voluptas aliqua aduersatur dolori alicui simpliciter malo, qualis est dolor ob alienam felicitatem conceptus. Et quia alioqui beatus carere deberet omni voluptate: at omnium iudicio felicitas iucunda est; ubi significat voluptatem aliam esse animi, quæ scilicet actionem honestam, ipsamque virtutem, immodic & felicitatem coniatur: aliam corporis, quæ propriè nomen voluptatis retinet; quia ad eam sese homines frequentius applicant. Videri autem plerisque corpoream voluptatem optabiliorem, qui tristitiam & dolorem pellit: & quia plurimi homines alias puriores, quæ animi sunt, non experiuntur. Sed eos ait esse reprehendendos, non qui innoxias voluptates consequentur, sed qui damnosas. Voluptates interim corporeas, non contrarias tantum, id est quæ contrariis doloribus aduersantur, ut est quies respectu motus, aut contra aëris puri & liberioris, hortorum & amoenæ viriditatis fruitio, respectu mœstæ habitationis, & carceris obscuris; sed & quilibet, si modò vehementes sint, maximè afficiant, tristitiam dolorösque ejccere ac propulsare. Vbi annotat, ea quæ actionem naturalem excitant, omnia iucunda esse natura. Sed idem non posse semper nobis esse iucundum: atque adeo humanas voluptates non esse easdem, aut vniuersalibet: quia constamus partibus diuersæ conditionis, neque natura nostra simplex est. Hinc enim fieri, ut si quid una pars faciat, id alteri præter naturam sit. Ita ut voluptas unius partis, putà animi, voluptati alterius, putà corporis, aduersetur. Deum vero Opt. Max. una & simplici voluptate potiri, quæ in eadem actione perpetua, eaque iucundissima (quæ est sui æterna perfectissimæ contemplatio, ex l. 14. Metaph, qui falso fuit haec tenus 12. cap. 7. & 9.) consistit; quia Dei natura simplex est. In quiete potius quam in motu voluptatem esse positam. Mutationem esse omnium rerum iucundissimam, ut dixit Euripides in Oreste, quia natura nostra peruersa est, mutabilis, & imperfecta, ideoque mutationem affectans, ut melius, si fieri potest habeat. Nunc enim hoc, nunc illud, nunc aliud volumus, quod certum est improbae minùsque perfecte naturæ argumentum. Quod ideo annotavit hoc

*Vnde μαρτυρεῖ.*

*Quædam voluptas bona est.*

*Humana*

*voluptates*

*varia, di-*

*nina uni-*

*ca.*

*Iucundis-*

*simam mu-*

*tatio.*

hoc loco Aristoteles, ut doceret humanas voluptates alias atque alias esse, nec perpetuas, sibique similes.

*Liber octauus Ethicorum.*

*mei filius.* **D**E Amicitia est, ut & Nonus qui se-  
quitur. Sed in Octauo agitur de ami-  
citiae vi, natura, & partibus. In Nono de  
conseruatione & dissolutione Amicitiae,  
vbi & varie questiones de amante & ama-  
to exponuntur, de modo amandi, & de eo  
quod est in amicitia iucundissimum.

Constat Octauus liber quatuordecim  
capitibus, iuxta versionem Perioni: sexde-  
cim, iuxta hanc editionem; & Dionysij  
Lambini ordinem. Totus tamen liber ad  
tres partes reducitur. 1. Est de amicitia in-  
ter aequales. 2. De eadem inter inaequales.  
3. De querelis & criminationibus, quæ in  
amicitia oriuntur.

*Ad Cap. primum.*

*mei filius.* **S**Tatuit, *mei filius*, de amicitia esse hoc lo-  
co differendum; quia vel virtus est, vel  
cum virtute, & ad vitæ usum maximè con-  
fert. Sic enim adolescentibus prodesse, ne  
peccent; senibus, ut colantur. Tuetur præ-  
terea ciuitates. Cuius ideo curam habent  
maiores legislatores quam Iustitiae.

*Ad Cap. secundum.*

*Amabile  
triplex.  
honestum,  
iucundum,  
utile.* **P**roponit veterum sententiæ de vi &  
natura amicitiae. Alios enim ait putasse  
amicitiam esse similitudinem quandam.  
Vnde proverbia, Graculus cum graculo;  
Pares cum paribus facilimè congregan-  
tur. Alios contra, esse dissimilitudinem:  
hinc proverbia illis contraria; Figulus figu-  
lo inuidet, & Qui pares sunt, fere sunt ini-  
mici. Dixit Heraclitus, discordiam esse cau-  
sam rerum, Empedocles, concordiam. Qua-  
dere in Physicis. Hic enim querendum, an  
inter omnes possit esse amicitia, & adsit  
vnica amicitiae species, an plures? Qui enim  
ideo vnicam esse putant, quod recipiat  
magis & minus, non satis firmo nituntur  
argumento: quia res multæ magis & minùs  
recipiunt, quæ non desinunt propterea spe-  
cie distingui. Ut ergo hæc clarè intelligan-  
tur, agendum *mei filii*, de amabili, de eo  
scilicet quod amari dignum est. Est verò  
amabile triplex, *mei filii*, bonum, id est, hoc  
loco, honestum; *mei filii*, iucundum; & *mei filii*. &  
utile. Tum docet absolutè amabile esse bo-  
num; amabile verò cuique, quod cuique bo-  
num. Non esse *mei filii*, amicitiam, sed *mei filii*  
amationem, circa resonantias. Propriè  
enim amicitia esse tantum, vbi est *mei filii*,  
mutua amoris reciprocatio; & *mei filii*,  
& benevolentia. Differre verò *mei filii*,  
*mei filii* benevolentiam ab amicitia; quod amicitia  
non est. sit reciproca, & aperte ac utrinque cognita;

*Tom. 3.*

benevolentia, minimè. Amicitiam igitur  
esse benevolentiam mutuam, & apertam,  
propter bonum aliquod utile, vel iucun-  
dum, vel honestum. Amicos autem eos,  
qui se mutua complectuntur benevolentia,  
& quæ sibi mutuò bona cupiunt euennire,  
ita ut hoc sit utriusque cognitum; idque boni  
alicuius gratia.

*Ad Cap. tertium & quartum.*

**S**Tatuit esset tres amicitiae species, pro *Amicitia*  
triplici specie obiectam amabilis. Nempe *triplex*.  
vnam perfectam & absolutè dictam; quæ  
inter bonos ac prudentes virtutis siue ho-  
nestatis gratia initur: & duas imperfectio-  
res, ac secundum quid & ex euenu: nempe  
eam quæ utilitatem spectat, & aliam quæ  
iucunditatem sectatur. Tum docet con-  
stantiorem & durabiliorem esse eam quæ *Honestia*  
à virtute nata est. Et floraret tantum, inter *amicitia*  
bonos ac prudentes, cæteras verò facile  
dissolui, & inter quosuis posse reperiri.  
Perfectam illam amicitiam esse raram.  
Cùm sint pauci viri perfectè boni, & talis  
amicitia temporis requirat diuturnitatem,  
& vitæ consuetudinem, vt alter alterum  
cognoscat, séque utrumque dignum amici-  
tia iudicet. Est enim veram parœniā, *mei filii*.  
Multos modos salis edendos, vt se mutuò *mei filii*  
nō sint homines.

*Ad Cap. quintum.*

**C**omparat genera amicitarum. Do-  
cetque, honestam amicitiam esse par-  
tim similem cæteris, partim dissimilem. Si-  
milem, quia continet iucundum & utile.  
Bonum enim viri sibi mutuò iucundi sunt &  
utiles. Et quia amicitiae utiles & iucundæ  
honestam emulantur; cùm scilicet diu in-  
terdum permaneant, vt illa: dissimilem ve-  
rò, quia honesta non nisi in bonis, cæteræ in  
quibusvis reperiri possunt. Omnes enim  
utilitate & voluptate capiuntur. Item ho-  
nesta non est obnoxia calumniis, sunt cæ-  
teræ.

*Ad Cap. sextum.*

**H**onestæ amicitiae cultores esse sim-  
pliciter amicos, aliarum per accidens  
& quatenus illis sunt similes. Amicos alios  
esse potestate & habitu tales; alios actu.  
Obscurari amicitiam diuturnâ absentia.  
Senes & austeros homines non esse *mei filii*, *Senes* &  
amicitiæ idoneos: quia requirit amicitia *austeri* nō  
iucunditatem, atque adeo vitæ societa- *sunt ami-*  
tem. *mei filii*.

*Ad Cap. septimum.*

**A**MOTEM siue *mei filii*, similem esse per-  
turbationi, amicitiam habitui, id est, *amoris* &  
virtuti. Juuenies citò fieri amicos; senes, *amicitia*.  
seueros, superciliosos, tetricos siue tristes,  
non item. Quia hi sunt *mei filii*, moro-  
firos, difficiliores; & *mei filii* iucundus *mei filii*,  
minùsque colloquiis familiaribus delecta-  
tur. Potentes ac diuites uti solete amici-

*Amicitia in aequalitate.* vulgaribus, vtilitatis scilicet ac voluptatis; non illis raris. Reciprocam esse amicitiam dum officia mutantur, mutuoque rependuntur, & sic consistere, *in iustitia*, in aequalitate & iustitia quadam.

*Ad Cap. octauum.*

*Amicitia excellētia, & in aequalitate multiplex*

**A**MICITIAS vulgares, vtilitatis scilicet & voluptatis, ait, vel eadem mutuo praeferare officia, vel aliud cum alio commutare, vt cum vtili iucundum: ideo esse positas in quadam aequalitate; sed has non esse veras, longas, perfectasque amicitias. Tum statuit aliud amicitiae genus, *τὸν χώρων*, secundum excellentiam, vt est amicitia patris erga filium; senioris erga iuniorem; viri erga vxorem; imperatoris siue regis erga subditum, uno verbo, inequalium. Quæ tamen amicitie differunt maximè. Aliter enim vir vxorem diligit, quam rex subditum. Hoc autem amiciis inequalium commune esse debet, vt plus diligatur quæ præstantior meliorque est. Si enim amatio pro dignitate fiat, inde exurget aequalitas quædam: quod certè amicitia proprium est:

*Ad Cap. nonum.*

*No est par in iustitia & amicitia aquilitas.*

*Multi qui locuples.*

**S**TATUIT, aequalitatem non esse eandem in iustitia & amicitia. Iustitia enim præstantior: nempe distributiva seruat proportionem Geometricam, & medium rationis sequitur, habita ratione dignitatis personarum; Amicitia autem præstantior, quæ scilicet est inter pares, utitur proportione Arithmetica: & contrà, quæ iustitia est imperfectior, nempe commutativa, sequitur proportionem Arithmeticam: Amicitia vero ignobilior, ea scilicet quæ est inter impares, Geometricam. Porro esse imperium amicitiam imperfectiorem patet; quia quo maior est conditionis, virtutis, sapientiae, fortunarum distantia, eo minor amicitia est. Multos amari velle potius quam amare, nempe *διὰ φιλοπίαν*, propter honoris cupiditatem: hinc esse multos *φιλοκόλαρες*, assentatorum amatores. Cùm *οὐκλεῖ*, assentator, aliis non sit quam *τέλοχούς φίλος*, inferior amicus. Melius esse amari quam honorari. Amicitiam consistere potius in amare *εἰ τῷ φίλῳ*, quam *εἰ τῷ φιλέῳ*. Id testari maternam amicitiam erga liberos.

*Ad Cap. decimum.*

*Viri boni re, nec permittere amicis ut peccent, aut amicorum sint ministri peccatorum: Malos exiguo peccata non tempore esse amicos, quia instabiles, nec ferunt. sui similes, ut sint boni. Utiles & iucun-*

dos diutiùs malis persistere, & quandiu vtilitates mutuae & voluptates manent. A- *Contraria* amicitiam vtilitatis è contrariis constare, vt *gaudet* è paupere & diuite, docto & indocto. Sic *contrario* contrarium appetere contrarium, sed per *accidens.*

*Ad Cap. undecimum.*

**I**VS & amicitiam in iisdem & circa eadem versari: in societate enim utrumque reperiri. Hinc socij vocantur amici, & i omnes inter quos est communio aliqua. Vnde parœmia, *κοινὴ τὰ φίλων*. *Amicorum omnia communia*. Ut amicitias, sic & iura alia aliis esse maiora, & minora; alias etiam iniurias aliis grauiores; pro ratione personarū: Cùm sit gravius sodalem pecunia fraudare, quam ciuem. Omnes societates politicas & ciuilem aemulari, eique esse similes, *omnis Politica & sub ea comprehensas, tanquam illius partes, cùm omnes bonum utile querant, ut ciuilis, quæ ab initio vtilitatis causa fuit constituta. Licet aliquæ etiam sodalites propter voluptatem instituantur, ut conuiarum, saltatorum: Quæ etiam sub Politica, quæ in sacrificiis publicis otium & voluptatem querit, continentur. Quales autem societates, tales esse amicitias.*

*Ad Cap. duodecimum.*

**E**SSE species tres *τῆς πολιτείας*, siue ciuilis *Tres sunt regiminis, laudabiles & bonas, totidem bona species regias, Optimatum principatum, & πολυκρατικόν, ἀπὸ πολημάτων, ex censu potestateni, quam multi vocant communis nomine πολιτεία, rempublicam. Earum optimam, esse regnum: deterrimam, Timocratiam. Has vero esse, πολιτεία, quæ opponitur regno: degenerat enim regia potestas in Tyrannidem; οὐτιγράχεια, paucorum dominatum, eorumque locupletiorum, in qua commutatur Aristocracia culpa optimatum, & potentiorum bona indignis conferentium, & sibi maximam partem vendicatum; δημοκρατία, populi dominationem, in quam Timocracia, quæ è multis inter se paribus qui censi sunt, constat, facile degenerat. Harum vero politiarum formarum similitudines & exempla è familia petiposse. Nam paterna potestas in filios, similis est regno. Quanquam peruersa est Persarum consuetudo, quibus patria potestas est tyrannica: utuntur enim filii, ut seruis. Societas vero viri & vxoris Aristocracie similis est; uterque enim pro sua quisque ratione imperat. Fraterna denique societas Timocratiæ respondeat, cùm sint pares: nisi multum æstate distent. Atque ut formæ politicæ bonæ & laudabiles, cum bonis œconomicis comparentur; sic & malæ cum malis.*

# DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

19

*Ad Cap. decimum tertium.*

**E**sse in republica amicitia tantumdem, quantum est iuris. Regiam amicitiam quae scilicet rex subditos prosequitur, positam esse *in virtute et exercitio, in beneficentia et excellentia*. Similem esse regem pastori. Hinc Homerum vocasse regem Agamemnonem, ποιησάντα λαῶν. Regiae amicitiae similem esse paternam. Viri & uxoris amicitiam eamdem esse cum Aristocratica, qua optimo cuique pro dignitate bona tribuuntur. Fraternam denique, similem esse amicitiae sodalium, cum sint ferè pares & coætanei. In malis autem Republicæ formis siue *in tyrannis*, ut parum iuris, sic & amicitiae tantillum relinqui. Cum rebus inanimatis nec amicitiam, nec ius esse; immo nec cum animatis, ut equo, bove; sed neque cum seruo, quia seruus est; licet quia homo est, possit inter eum & dominum amicitia, & ius intercedere.

*Ad Cap. decimumquartum.*

**A**MICITIAM OMNIENI IN COMMUNICATIO-  
NE QUADAM CONSISTERE, VT CIUUM, HOS-  
PITUM, NAUIGANTUM. HINC SECLUDI *et amicis*  
*et iunioribus*, AMICITIAM CONSLANGUINEORUM &  
FODALIUM : QUA VTRAQUE MINUS DEPENDET A  
COMMUNICATIONE. CONSLANGUINEORUM AMI-  
CITIAM A PATERNA TOTAM PENDERE. AMICI-  
TIAM VIRI & VXORIS ESSE SECUNDUM NATURAM;  
NON QUOD INSIT PRIMA AB ORIGINE, SED QUA  
PRINCIPIUM Vnde ORITUR, EST NATURALE, NEM-  
PE PROCREATIO SOBOLIS, VITÆ SOCIETAS, AUXI-  
LIIUM MUTUUM, UTILITAS, VOLUPTAS. QUOD SI  
HOMO NATURA POLITICUM EST ANIMAL, CERTE  
CO MAGIS EST *amicitia*, CONIUGIO APTRUM,  
QUO PRIOR EST MAGISQUE NECESSARIA DOMUS  
CIUITATE. CONIUGALEM AMICITIAM IUCUN-  
DIOREM FORE, SI VIRTUS ADEST, & LIBERI PRO-  
CREENTUR, QUI VINCULI INSTAR, PARENTES AR-  
ETIUS IUNGUNT.

*Ad Cap. decimumquintum.*

**O**Riri criminationes & querelas, quæ dicuntur ~~ad amicorum~~ ad amicos, in ea potissimum amicitia, quæ utilitatis causa est: in honesta nunquam; in voluptaria parum. Ut vitetur criminatio, par pari esse referendum; idque ultra, imò perinde ac si certa foret obligatio. Non essetamen exigendam remunerationem ab amico, cùm non potest beneficium rependere. In honesta amicitia beneficium aestimari ex animo dantis; in utili, & vulgari, ex utilitate.

*Vulgus amicitias utilitate probat.*

### Ad Cap. decimumsextum.

**V**T in amicitiis parium, sic & impariū, dissidia interdum oriri & querimoniās, cūm vterque sibi plus a quo tribui postulat: deberi autem superiori ac meliori plus honoris; egenti, plus utilitatis & quæstus. Amicitiam desiderare quod præstari potest, non quo quisque sit dignus. Sic enim

Tom. 3.

meritos honores nemo reddere Deo & pa- *Deo & pa-*  
rentibus potest. Licet superiori abdicare *rentibus*  
inferiorem, non contra. Plerosque omnes *paris ne-*  
velle beneficium accipere, <sup>ut</sup> ~~negare~~; dare au- *mo redde-*  
tem, minimè. *re potest.*

## *Liber nonus Ethicorum.*

**E**st etiam de Amicitia, ut octauus; &  
constat capitulo duodecim, D. Lambino & Peronio: partibus tribus. 1. Est de  
causis conseruandæ & dirimendæ amicitiæ.  
2. De modo amandi amicos. 3. Quod bea-  
tus amicis egeat: & quid sit suauissimum in  
amicitia.

*Ad Cap. primum.*

**I**mparium Amicitiam conseruari proportione Geometrica; non secus atque in republica remunerantur Artifices pro sua quisque dignitate. Sed mensuram, in republica esse nummū, ut iam docuit lib. 5. Ethic. in Amicitia verò honesta quidem, animum dantis; in alia, fructum recipientis. In honesta Amicitia nullas esse querelas; quia sic amici, maximè largiuntur, & non exigunt; in alia, multas; quia vel non rependitur amor; vel fructus, aut saltem nō is qui speratur. Ut si Cithare do loco pecuniae rependas cantilenam, vel cithare sonum, siue voluptatem pro voluptate. Ut videntur criminationes, opus esse remuneratione: quam præcedere debet accepti beneficij estimatio. Et hæc quidem vel est ex pacto, vel non: si non sit ex pacto, nec adhuc definita; esse eius qui beneficium accepit, non eius qui contulit, estimare. Quod consilium fuit Protagoræ, mercedem à discipulis accipientis, quam illi estimarent, & id quidem meritò. Quia accipiens nouit beneficij magnitudinem: & emptoris est pretium statuere, non venditoris.

*Ad Cap. secundum.*

**V**NICUIQUE deferenda esse officia pro *Deferenda dignitate & merito; aliis alia.* Hoc ut *officia pro fiat, considerandas esse circunstantias; habendam rationem magnitudinis, exiguitatis, necessitatis.* Sic solui posse quæstiones, sintne patri omnia tribuenda; An ei parentum in omnibus; an potius, si filius æger est, medico? An amico potius succurrendum, quam viro bono? An potius referenda gratia bene merito, quam sodalis beneficio devinciendus? Hoc certum esse: debere potius & prius gratiam referri, quam dari beneficium, si par adest honestatis & necessitatis ratio. Singula singulis tribuenda prout merentur. Honorandos parentes, sed alium patri honorem deferendum, aliū matri, alium nutrici. Senioribus assurgendum, loco cedendum,

## Ad Cap. tertium.

**C**essante fine amicitiae utilis & voluptate, id est, sublata utilitate & voluptate, videri diffundam amicitiam. Fictam amicitiam relinquendam: Item & honestam, si amicus ex probo euaserit improbus. Prius tamen incumbendum in amici emendationem: Alioqui paulatim, non repente, dimittendum. Non debere autem dimitti, nisi ob singularem improbitatem: Nisi sic fiat, hostem futurum capitalem, & inimicum infensissimum, qui prius erat fidissimus amicus.

## Ad Cap. quartum.

**O**fficia amicorum in amicos ex amore sui emanare, ut ex fonte, lege, mensura. Itaque amorem sui, esse mensuram officiorum erga alios, putat benevolentiae, beneficentiae, concordiae. Ratio est, quia amicus est alter idem. Quare, ut ipsi erga nos afficiuntur, sic erga amicos affici debemus. Diliges, inquit Deus in libris sacris, proximum sicut te ipsum. Atque unusquisque sibi bene vult, bene facit, vivitque secum concorditer; ergo sic erga amicum affectus esse debet. Sed haec amicitiae mensura aestimari debet secundum eum amorem sui, quo se vir bonus ac virtute praeditus prosequitur, qui amor primus est, purus, laudabilis, & cum recta ratione semper coniunctus. Primum enim & perfectum in quovis genere est mensura ceterorum. Alioquin improbi se vere non amant, cum se non ament ut homines, sed ut corporeis indulgentes voluptatibus. Vnde & sibi saepius nocent, licet sibi prodesse videantur. Dissident etiam a seipsis, & plena est eorum vita pœnitentiae. Quod si hoc miserrimum est, danda est opera, ut omni studio vitetur improbitas. Hoc capite annotauit Aristoteles, Deum obtinere verum summumque bonum, quod vocat *nūs*.

## Ad Cap. quintum.

**B**enevolentiam, τιμὴ εὐρείας, esse amicitiae honestae principium, nec posse amicos fieri, qui prius non fuerint benevoli. Neminem enim amore capi, nisi qui forma specieque fuerit prius delectatus. De benevolentia dictum supra.

## Ad Cap. sextum.

**C**oncordiam, τιμὴ εὐρείας, pertinere ad amicitiam. Illam non esse μοδόξια, consensum opinionum quemlibet, non versari circa quodlibet: videri esse politicam amicitiam: Reuera esse consensum virorum bonorum in rebus agendis. Posse esse concordiam inter cives sine amicitia: sed hanc sine illa, non posse.

## Ad Cap. septimum.

**B**eneficos, τὸς εὐεργέτης, magis amare eos quibus beneficiunt, quam ab iis amantur. Non quod benefactores sint quasi cre-

Amicum  
emendan-  
dum.

Rerum &  
purus a-  
mor sui est  
mensura &  
lex amici-  
tiae erga a-  
lios.

Initium  
amicitiae  
benevolen-  
tiae.

τιμὴ εὐρείας.

ditores, ( qui scilicet suis debitoribus bene esse volunt ut suum recuperent; licet non contra;) sed quod unusquisque opus suum amet vehementius, ut in artificibus & poetis videre est; qui paterno affectu, opera sua amant: at qui ab alio beneficium accepit, est quasi benefactoris opus. Honestatem utilitate esse iucundorem. Præsens, gratius futuro & præterito. Qui labore bona quæsierunt, haec eos magis amplecti. Dare beneficium laboriosius, quam accipere: ergo carius. Matribus ideo cariores esse liberos quam patribus, quod labore matres filios pepererint, sciuntque certius suos esse. Ideam esse iudicium de benefactoribus, erga eos quos beneficiis affecerunt.

## Ad Cap. octauum.

**A**n se quisque, an alios maximè amare debeat, controversum esse, dubiumque videri: cum pro utraque parte certari possit. Non debere enim se quemque lumen amore diligere, hinc probari potest, quod φλαυτι, male audiant: & quia laudentur boni, quod sua commoda postponant amicorum rationibus. Item quia improbi & depravati homines habentur sui amantissimi, omnique sua causa agant. Debere vero se quemque diligere vehementer, ex eo patet, quod amicus ea optet amico, quæ sibi: & amor sui, mensura sit amoris, quo quis alterum prosequitur. Explicandam igitur controvrsiam distinctione amoris, quo se quis prosequi potest. Amor enim sui duplex est, ut & pars duplex, superior, nempe *animus, mens, ratio*; inferior, nempe *corpus, vel cupiditas*; posse ergo se quemque amare. Imo & debere amore illo superioris partis, qui in solo viro bono est, cum sit ipse virtutis cultus, & amor bonorum animi; atque adeo virum bonum oportere sui esse amantissimum, qui scilicet ita se amet, ita appetat utilia & iucunda, ut nihil in honestum iniustum ve nquam faciat, aut cogitet, sed sibi semper aliisque prodesse studeat; ita ut virtutis amore paratus sit ad mortem ipsam, pro patria, pro que amicis constanter oppetendam. Non debere autem se quæpiam amare amore partis inferioris, & neglecta virtute & sua; & aliorum, omnia in propriam transferre utilitatem, cum aliorum etiam detimento. Quod vulgus facere solet.

## Ad Cap. nonum.

**V**ideri, beatum amicis non egere; quia bonis omnibus abundat; & quia aliqui egenus esset, atque adeo miser. Contra, *Beatus* videri, beatum amicis egere. Primò, quia *eges amici*, indiget bonis externis: Secundò, quia conferre debet beneficia: Tertiò, quia solus es, solitudo autem misera: cum homo ciuile sit animal & societatem amet, quæ amicos requirit. Questio tamen sic soluitur:

Vtiles

Maior est  
amor in  
benefacto-  
res.

Car liberis  
matribus  
cariores.

Amor fui-  
duplex.

Oportet  
virum bo-  
nū se ma-  
xime ama-  
re, ut sic.

Vtiles amicos non esse beato necessarios, vt neque voluptarios, nisi forte ad animi relaxationem: honestos autem, videri necessarios. Primò, quia perse honesta beato maximè conueniunt: Secundò, quia necessaria est aliqua iucunditas ad actionis diuturnitatem: nulla autē iucunditas (præctica præsertim) haberi in solitudine potest, & amicorum penuria. Tertiò, quia amicorum consuetudo valet ad virtutis exercitationem: sunt igitur illi beato qui virtutem colit, maximè optabiles. Denique iucundissimum est sentire se esse, se vivere, & præsertim viro bono & beato; ergo & sentire, seu cognoscere, esse amicos: amicus enim est alter ipse. Quare beatus eget amicis honestis & virtute præditis.

*Ad Cap. decimum.*

*amicorū  
debet esse  
modus.*

**N**on oportere quemquam omnes habere amicos, neque etiam nullum. Debere utiles esse paucos: quia difficile est multis utilia suppeditare; & vita quaestuosa laboriosa est. Item pauciores voluptarios; quia voluptas est quasi condimentum, quod paucum esse debet in cibo: Honestos autem plures; non infinitos. Multitudo enim perturbat, & amicitiam distrahit minuitque, Quibus amici omnes, iis amicus nemo.

*Ad Cap. Undecimum.*

**R**equiri amicos in prospera & aduersa fortuna; sed in aduersa magis. Est enim amicorum præsentia iucunda, & quasi dulce dolorum lenimen. Atque vt societas ciuilis ad perfugium maximè instituta est, sic & amicitia. Atque ad res quidem prosperas vocandos esse amicos, ad infelices, non facile.

*Ad Cap. duodecimum.*

*amicorū  
confuetu-  
do iucun-  
dissima.*

**V**T amantibus *τοῖς ἵησον*, mutuus asperitus est carissimus, sic & amicis, conuersatio, consuetudo, & familiaritas est iucundissima. Quia ipsa amicitia est communitas quædam; & amicus est alter idem. Vnusquisque autem seipso maximè delestat. Nihil bonorum conuersatione utilius. Ideo optandam eorum amicitiam, cum sese mutuis gratisque admonitionibus corrigan. Vitandam contrà malorum amicitiam, vt vitiosam, & instabilem, quæque in res malas ipsâ consuetudine inducit.

*Liber decimus Ethicorum.*

**N**Ouem habet capita, vt vult Perionius. Decem, vt Lambinus, & præsens editio. Reuocari autem potest totus liber in duas partes, vt Prior quinque primis capitibus comprehensa, sit de voluptate: Posterior, reliquis capitibus, de felicitate, tam practica quam Theoretica. Ideo autem de

felicitate, quæ est summus finis, egit Aristoteles lib. I. huius operis, & hoc decimo, qui ultimus est; quod finis, intentione naturæ, sit primus; executione, ultimus.

*Ad Cap. primum.*

**S**Tatuit, de voluptate esse differendum; quia nobis est familiarissima, & ad virtutes pertinet, ac beatam vitam, & de illa quidem libro tertio iam egerat. Sed propter temperantiam, quæ scilicet gustus & tactus voluptates moderatur. Item libro 7. propter continentiam: hoc autem libro de eadem tractat, vt pertinet ad felicitatem. Et quia alij eam summum bonum feceré, alij magnum malum.

*Ad Cap. secundum.*

**E**xpliCat Eudoxi sententiam, qui voluptatem credidit esse summum bonum, quatuor adductus argumentis. Primo, id ad quod omnia toto impetu feruntur, est summum bonum; sed voluptas est eiusmodi. Secundo, dolor est summum malum, cum omnia dolorem refugiant, ergo voluptas quæ dolori aduersatur, erit summum bonum. Tertio, appetitur voluptas propter se, & maximè, vt talis est. Quarto, voluptas addita ceteris bonis, facit ea longè meliora & optabiliora: ergo est optimum quid. Probatur sequi, quia quod adiunctum alteri, id facit melius & optabilius, ipsum magis est expetendum ac longè melius. Et hanc quidem Eudoxi sententiam confirmabat eius vita atque mores. Erat enim ille *μεγάλως οὐρανού, egregie temperans*. Tum docet, Eudoxum à Platone male refutari. Ipse vero Aristoteles non soluit Eudoxi rationes, vt certè aliqua ex parte eas videatur admittere: Quatenus opinor, ex iis effici posse videtur, quasdam voluptates esse bonas: quod intendit docere Aristoteles. Qui ideo in Platonem, Eudoxi reprehensorem potius quam in Eudoxum inuehitur. Plato enim idcirco voluptatem in bonis non esse contendebat; quod non sit qualitas, aut habitat, vt est virtus; item quod non sit definita certo gradu, atque indivisibilis; volebant autem Pythagorei omne bonum esse definitum: tertio, quod sit motus, motus autem non sit de genere bonorum: est enim quid imperfectum, siue via ad perfectionem: quartò, quod aliquæ voluptates sint turpes. Sed has rationes refutat Aristoteles acerimè. Negat enim, voluptatem, licet qualitas non sit, ideo bonam non esse. Quia felicitas non est qualitas, & tamen optima est. Item negat bonum omne esse certo gradu definitum & indivisibile. Sanitas enim, quæ est bonum quoddam, non est certo gradu definita, cum intendatur & remittatur. Negat præterea voluptatem esse motum: cum voluptati non conueniat tarditas, nec celeritas: & male definierit Plato voluptatem,

*Voluptatē  
esse sum-  
mum bon-  
um.*

expletionem & satietatem eius quod naturae est accommodatum: ut dolorem, indigeniam eius quod natura desiderat. Licet enim forte sic res habeat in voluptatibus cibi & potus, illicque expletionem antecedat inanitas, & delectationem dolor; esse tamen alias voluptates, putam Mathematicas, quae ex disciplina & scientiis percipiuntur; item quae ex odoratu, auditu, visu, quas nullus dolor antecedit. Negat denique obscenam voluptates, vere esse voluptates, sed videri tantum hominibus male affectis. Vbi distinguit voluptates honestas ab obscenis, illaque, non has, concludit esse optabiles & expetendas; non esse tamen voluptatem summum bonum. Hic obserua, Periodum malè ex uno hoc 2. capite, duo fecisse. Idem enim in illo tractatur.

*Ad Cap. tertium.*

**S**TATUIT, voluptatem, ut & visionem, fieri in instanti, & totam simul; non per partes aut successiuè: Atque adeo non esse motum, cum motus non fiat in momento temporis, sed successiuè, & motus non omni tempore sit perfectus & absolutus; voluptatis autem forma & essentia quovis tempore sit perfecta & integra.

*Ad Cap. quartum.*

**S**VAM cuique sensui tributam esse voluptatem; imò & intellectui, & contemplationi; ut quæque functio, siue actio perfectissima est, (est autem eiusmodi cum quod agit, optimè dispositum est,) ita esse iucundissimam. Actionem à voluptate perfici, non essentiali perfectione, sed accidentaria, ut florens artas perfici & ornari dicitur pulchritudine. Quandiu optimè habet facultas, & obiectum, tandiu in actione durare voluptatem. Non esse perpetuam voluptatem. Quia actio perpetua non est, ob facultatum viriumque lassitudinem & infirmitatem. Noua delectationem parere: quia mouent animum ad agendum: eumque principio maximè excitant: actionem vero sequitur voluptas: sed sensim remissa actione, minuitur etiam voluptas. Omnes, voluptatem appetere; quia omnes vitam appetunt, vita autem è pessima ne sit; *Actio quædam est;* quæ cum perfecta est, iucunda etiam est. Vitam & voluptatem esse coniunctas, sed voluptatem esse ut condimentum, quo ad agendum inuitamur. Atque adeo actionem & vitam voluptatem esse potiorem ac meliorem, ut finem medio.

*Ad Cap. quintum.*

**D**OCEST primò voluptates specie differre. Quia actiones specie differunt, puta operationes mentis ab operationibus sensuum: voluptas enim actionem comittitur ac perficit: at perfectiones operationū specie differentium, differunt etiam specie. Item aliae voluptates sunt vitiosæ, aliæ lau-

*Voluptas  
non potest  
perpetuo  
durare.  
Non appla-  
cent.*

*Voluptas  
actionis  
condimen-  
sum.*

dabiles; aliae puræ, ut quæ sunt aspectus; *Voluptas* aliae impuræ, ut quæ gustus & tactus. Et *tes dinet*. Animalium alia aliis delectantur, cum sint *sa sunt*. eorum actiones & officia diuersa. Denique diuersitas voluptatum in ipsis hominibus deprehēditur. Alios enim alia delectant, & eadem aliis grata, aliis iniucunda: *Trahit Virgilium.* sua quemque voluptas. Docet secundò, solā voluptatem, quæ viro probo & sapiēti probatur, bonani esse: quia virtus & vir bonus mensura est rerum bonarum. Itaque optimas esse, verēque hominis quæ homo est, eas voluptates, quæ viri sunt perfecti & beati; cum beatus vir sit optimus. Hoc capite dictum Heracliti refertur ὁντος, σύμμετε τῷ εἰδέντι μᾶλλον, οὐ χρεόν. Asinum, stramen, siue culmos & paleas, malle, quam aurum.

*Ad Cap. sextum.*

**A**GIT de beatitudine, quam vocat τὸν αἰθρωπίων τίκον. Docetque primò, eam non esse τέλον, habitum, quia alioqui dormiens, & otiosus esset beatus. In utroque enim habitus esse potest, id est, vis & potentia ad bene agendum. Secundò, consistere in actione ea, quæ propter se expetitur, & à perfecta virtute proficiscitur. Tertiò, non consistere in ludo rebus ludicris, quia plerumque damnosus est lusus, nec omnia ludendi gratia sunt expetenda; nec viendum, ut ludamus, sed contraria; licet forte aliter iudicent Tyranni & principes, qui ludum ceteris rebus anteponunt. Sed non est iis fides adhibenda: cum specie tenus non reuera sint beati, nec sint æqui iudices rerum optimarum. οὐ δέ τῷ θεάτρῳ οὐδὲ πάτη, οὐδὲ τοῖς. Non enim in principatu virtus aut mens necessario posita est. Sed principes, ut & alij quilibet, etiam pueri, iudicant prout sunt affecti. Alij enim alia iudicant, alia laudant, estimant, pro suo quisque affectu. Ea bona sunt, honorata, iucunda; quæ à viro probo & sapiente talia iudicantur. Quartò, docet partis siue facultatis, ut & hominis melioris ac præstantioris, meliorem etiam esse ac præstantiorem actionem; actionem autem, quo melior præstantior est, ead beatitudinem esse accommodatorem. Quintò, in voluptate sitam non esse beatitudinem, quia voluptate quilibet, etiam αἰθρωπός, mancipium, perfui potest, æquè bene ac vir optimus. At mancipium nemo dixerit beatitudine potiri. In actione igitur virtutis, εὐδαιμονία colliganda est.

*Ad Cap. septimum.*

**P**ERFECTAM absolute felicitatem statuit esse in contemplatione ea repositam, quæ ex Sapientia proficiscitur. Perfecta enim felicitas ea est, quæ in actione omnium perfectissima consistit; at qui talis contemplatio est actio perfectissima; cum ab ea facultate prodeat, scilicet mente, quæ est in homine

*Beatitude  
est in actio  
ne perfe-  
cta virtu-  
tis.*

*bona sunt;  
quæ viro  
bono bona  
videntur.*

*Theoreti-  
ca felici-  
tas perfe-  
ctior.*

# DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

23

*Mens facultas op-  
timæ.*

*Sapientia virtutum excellen-  
tissima.*

*Felicitas practica Theoreti-  
cam sequi-  
tur.*

*Sapiens Deo simi-  
lior, quam  
temperas, au-  
tius.*

*homine optima & diuinissima, & ab ea vir-  
tute, nimurum Sapientia, quæ est omnium  
præstantissima & iucundissima. Ergo per-  
fecta felicitas in contemplatione consistit,  
& hæc est felicitas quæ Theoretica nomi-  
natur. Dicitur verò mens omnium huma-  
narum facultatum optima, quia imperat, &  
diuina humanaque complectitur, eiisque  
officia sunt diuturniora. Sapientia autem  
virtutum præstantissima; quia voluptates  
continet puritate & diuturnitate sua admi-  
rables; quia nulla virtus sua sorte magis est  
contenta; nulla minus externorum bono-  
rum egens. Fortis enim, temperans, & iu-  
stus multa externa requirunt; sapiens nihil  
tale: sed quasi se solo contentus, cum libet,  
suauissime contemplatur, magnoque cum  
otio & animi tranquillitate. quod non facit  
altera beatitudo, quæ practica dicitur & ci-  
uilis. Actiones enim Politicæ ac præsertim  
militares, negotiosæ sunt, & curis implicitæ.  
Sed & per mentem & sapientiam, viuimus  
vitam propriè humanam; & maximè no-  
stram: atque adeo perfectissimam. Homo  
enim maximè est id quod est, per mentem,  
quia mens est quid in homine excellentissi-  
mum. Quod autem cuiusque proprium  
est naturâ, idem & optimum cuique est &  
iucundissimum. Cum ergo vita illa mentis  
& sapientiæ, sit utriusque functio, siue per-  
fecta quadam iucundaque contemplatio,  
tum demum perfectè felicitèque viuemus;  
cum diuinæ illi contemplationi incumbe-  
mus: atque adeo vita illa contemplativa  
erit beatissima.*

## Ad Cap. octauum.

*A*lteram felicitatem, quæ practica est  
vel actuosa, secundo post Theoreti-  
cam loco habendam esse decernit. Quia  
hæc, diuina est; illa, humana; quæ scilicet  
in humanis occupetur, & à prudentiâ cui  
humana proponuntur, dependeat. Itē quia  
Theoretica paucioribus eget adiumentis,  
seque ipsâ magis contenta est quam practi-  
ca. Tertiò, quia qui ex sapientiâ habitu cō-  
templatur, Deo similius est perpetuò con-  
templanti, (non enim fingere oportet Deos  
dormientes, vt Endymionem, sed aliquid  
operantes,) quam qui virtute Morali præ-  
ditus est. Deus enim non exercet virtutem  
Moralium, putâ temperantia, officia,  
& quæcunq[ue] ēst, laudatio diis contumeliosa  
dicere eos carere vitiosis cupiditatibus; cū  
in Deos passiones non cadant. Contem-  
platur autem Deus perfectissimè. Cum er-  
go is sit beatissimus qui Deo simillimus; sa-  
piens verò siue contemplator Deo sit simi-  
lior, erit profectus sapiens beatissimus, longe-  
que felicior eo qui ex virtutis Ethicæ  
exercitio beatus nominatur.

*Ad Cap. nonum*

**S**TATUIT, externa bona beato esse neces-  
saria, & ἡ τὸν ἀνθρώπον σὲ πόνος οὐκ εἰσίτε.  
Quia non est suis bonis contenta natura ad con-  
templandum. Et certè constat beatus corpo-  
re & animo; non ergo solis eget animi bonis, sed & corporis: Imò & fortunæ, sine  
quibus salubriter & commodè viuere non  
licet: Sufficere tamen bonorum mediocri-  
tatem. Hoc loco egregiam gnomen, veré-  
que auream sententiam habet Aristoteles;  
τὸ δὲ αἰδησθεὶς τοῖς θεοῖς τὸν ἔργον καὶ τὸ βέβαιον  
χρηστων, τὸ τόποις γὰρ τὸ κύριον. Veritas in rebus  
iis quæ ad actionem referuntur, ex operi-  
bus & vitâ, non verbis eorum qui de cā dis-  
serunt, estimatur. In agendis enī vita fa-  
ctaque præcipua sunt. Concludit caput in-  
signiore veriloquio, & quasi Theologema-  
te Christiano. Sapientem & qui animum  
excolit, estque bene animo affectus, esse  
moralis, Deo charissimum; atque à Deo  
beneficia accipere, hancque etiam ob cau-  
sam sapientem esse beatissimum. Ex hoc  
loco vt ex cap. 8. lib. 2. Magnorum Moral.  
colligere est, Aristotelem, non modò diui-  
nam prouidentiam, sed etiam iustitiam,  
imò & charitatem erga homines, agnouis-  
se, quem doceat curam bonorum & sapien-  
tum habere, eisque præmia & beneficia  
conferre. Apertus est locus c. i. lib. de Di-  
uinat. pet Somn. vbi ait, Deum, si somnia  
mitteret, viris melioribus & sapientioribus  
missurum.

## Ad Cap. decimum.

**F**inem in practicis docet non esse co-  
gnitionem, sed actionem. Ideò non  
sufficere doctrinam & præcepta de virtu-  
te, nisi in praxim redigantur, & virtus frustra sūt  
exerceatur. Ad virtutem amplectendam  
valere verba sermonesque apud bene na-  
tos adolescentes, non apud plebeiam mul-  
titudinem: quæ, non pudore, non vitiorum  
turpitudine, sed metu & suppicio coërcet-  
ur & deterretur à peccato!

Oderunt peccare boni, virtutis amore:

Oderunt peccare mali, formidine pœne.

Vt quisque fiat probus, requiri naturam,  
assuetudinem, doctrinam. Doctrinam esse *Præcepta de virtute*  
instar seminis, quod terræ mandari nō solet. *Doctrina est semen.*  
Animus nisi excultæ. Animus enim est veluti ager *Animus*  
siue terra: is ergo excoli & exerceri debet, *Id supposse*  
antequam morum doctrinam excipiat, at-*videtur*  
que ex eâ emolumentum capiat. Exerceri *Arist. ex*  
autem commodè animus poterit à teneris *Hipp. in*  
assuescendo virtuti, bonisque moribus, ita *lib. de lege*  
vt discat honestate delectari, & turpitudine  
offendi. Sed cū difficile sit à puero virtuti *Ad rectam*  
assuescere, nisi ipsa educatio legibus quibus-*educatio-*  
dam dirigatur; statuit, ad rectam educatio-*nem opus*  
nem quadam legum constitutione opus es-*est lege.*  
se: Imò & omniætati leges esse necessarias,  
quod magna pars hominum necessitatì po-

tiis quām orationi pareat, & pœnā magis quām honestate ducatur: leges autem cogant, & supplicij metu à vitiis auocent. Debere verò τὸν νομοθετῶν, legumlatores, sic se gerere in condendis legibus, ut bonos ad virtutem inuitent, & καλὴ χάρις, honesti gratiā; malos autem & perniciaces, pœnā supplicioque cohibeant; eos denique qui emēdari & sanari non possint, è Republicæ societate exterminent. Cūm autem lex vim

*Lex cogit.* coactiuam habeat, quippe quæ sit ratio ab aliquā prudentiā mentēque profecta; Illam idcirco Politicam potestatem, putā Regiā, vel consimilem, requirere, cūm non sufficiat illa μετεπορεύεσθαι, paternum imperium, siue patris potestas, quæ non ita cogit,

*Viua lex* η ἡ ἐξ τὸν ιηγεῖν, οὐδὲ τὸν αἰχμῆν. Annotat ve-

rdò odiosam maximè esse legem eam quæ viua dicitur & loquens: estque ipse princeps vel magistratus, dum verbo edictōque suo hominum cupiditatibus aduersatur; quoniā vnuſquisque rectorem asperrimē patitur. Vnde statuit esse præferendam legem scriptam, & quæ consuetudine nititur: cūm hęc minus sit inuisa aut odiosa. Admonet deinde, educationem & institutionem liberorū apud solos Lacedæmonias à legislatore directam fuisse, apud alios verò, parentum eure reliquam. Esse verò patrem idoneum præceptorem, quia eum liberi amant, eique fidunt. Atque institutionem, aliam quidem esse communem, & vniuersalem; aliam singularem, quæ vni personæ, verbi gratiā, accommodatur. Vtramque in omni arte requiri, potissimum in coniecturali, ut Ethicā, & Medicinā, sed posteriorem esse potiorem: cūm in singularibus sit actio; Et Medicus curet Calliam, non hominem, ut est i. cap. lib. i. Metaphys. Ad instituendos bonos mores, requiri artem Nomotheticam legum conditricem, quia legibus efficiuntur boni. Legibus porro ferendis, ut & Politicæ, cuius Nomothetica pars est, eum idoneum esse, qui non scientiā tantūm floreat, sed rerum vſu & experientia peritus evaserit. Ideo vanos esse Sophistas qui Republicæ gerendæ artem se tradituros pollicentur, cūm sint ἀμείρι, & rerum ciuilium rudes & inexperti, nihilque præter inanes Rhetoricas, argutias Sophisticas, & legum inconditam multitudinem, collectionem indigestam ac veluti farraginem obtrudat. Enim uero ut Republicæ gerendæ ars ratioque expeditè ac felicitet doceatur, debet res siue opera Politica probè cognita esse & dijudicata. Vnusquisque enim de iis quæ nouit, iudicare potest. Atqui operum Politicorum ut legum Sophistæ sunt imperiti, cūm i. Republicam non attingant, neque rerum illarum vſu valeant; Malè ergo de gerendâ Republicâ different, nec de legibus bene poterunt iudicare. Esto: Conge-

rant illi sexcenta præcepta, cūm tamen ea digerere, ordinare, applicare, vt par est, nō possint, neque eorum idoneum vſum, οὐδὲ τὴν ἀμείρι, agnoscant; artem nunquam poterunt rectè construere. Artes siquidem practicæ & effectrices non cognitionem tantūm, sed & vſum experientiāmque requirunt. Hinc Medicinam dixit Galenus Medicinæ duobus veluti cruribus niti, vſu & cognitione, quod vulgò dicunt, Medicum debere & scientem esse & expertum. Hoc tamen loco vbi legum Sophisticam collectiōnem condemnare, aut eam saltem parui facere, videtur Aristoteles, dixetim obiter non esse diligentiam hanc legum colligendarum vſque adeo contemnedam, præser-tim si cūm iudicio ac delectu fiat, & si cum aliquo rerum vſu coniungatur, atque ex probatissimis ac vſu peritissimis authoribus exscribatur. Sic utilissimum esset, Platonis, Aristotelis & Ciceronis Politica scripta perlegere, florēsque delibare, si videlicet hoc genere studiorum opus nunc habemus. Imò & ipse Aristoteles de rebus ciuilibus scripturus, adeo diligens in hoc negotio fuit, vt centum quinquaginta octo ciuitatum leges & instituta collegerit, si M. Lib. 5. de Tullio & Diogèni Laërtio fidem habemus. Finib.

Quanquam neque vſu destitutus fuit Aristoteles, qui octo annos in Philippi Macconis Regiā sit versatus, & Stagiritis ciuibus suis leges dederit. Sub finem capitī, libri, totiusque operis, ad Nicom. significat se μετὰ τῆς νομοθεσίας η ὄλως μετὰ πόλιτικας, de Transiō ratione legum ferendarū, & de omni Rei publicæ administrandæ forma, scribere debere, quod veteres doctrinam hanc prætermiserint; atque etiam vt omnem de rebus humanis Philosophiam ipse perficiat absolute. Tandem Methodum ponit tradendæ Politices. Qui locus conuincere videtur, post decem hos libros Ethicorum ad Nicom. statim esse collocandos Politicos. licet ante Politicos reponi soleant Moralia Magna & Eudemia. Sed oportet nos sequi antiquum ordinem librorum. Hęcigitur habet Aristoteles libris decem Ethic.

### Summa Magnorum Moralium.

O pus hoc τὸν ἴδιον μεγάλων, interpretem quidem vnum, seu potius Metaphrastem, Georgium Vallam Placentinum habet, qui illud perspicua Latinitate donavit; commentatorē verò, siue etiam Paraphrastem, quem viderim, nullum. Causam esse Magna Nemo in puto, quod totum opus eiusdem sit argu- Moralis menti, cum decem illis libris Ethitorum ad scripsit. Nicomachum; & styli etiam facilioris; adeo ut quæ iam copiosè eleganter & accuratè libris

libris Ethicorum fuerunt pertractata, & à permultis iisque doctissimis commentatoribus illustrata, eadem in his duobus Magnorum Moralium libris repetantur, & styllo, vt mihi quidem videtur, pinguiore & laxiore. Ut certè qui Ethicorum intelligentiam anticipauerit, is solâ lectione possit horum documenta comprehendere. Quanquam, vt verum fatear, egregia quædam in his explicantur, & notatu dignissima, quæ in Ethicis dicta non sunt. Sed quia de rebus sunt iisdem, & eiusdem methodi ac instituti, ideo peculiares non habuerunt commentarios; neque iis profectò videntur indigere: Breuissimâ igitur Synopsis eorum argumenta perstringam.

*Liber prior Magnorum Moralium  
Aristorelis.*

*Constat capitibus triginta quinque.*

*P*rinio aperit institutum Aristoteles, statuitque sibi propositum esse agere de moribus. Mores autem spectare ad Politicam; Et eius partem primam, atque adeo Ethicam sub Politicâ contineri; imò verò vniuersam de Moribus disputationem debere Politicam appellari. De virtute dicendum esse, non tantum quid sit, sed quomodo possit comparari. Pythagoram errasse, qui virtutem vt alia omnia per numerum explicauit, dixeritque iustitiam esse *æθιμον ισόν τον*, numerum pariter parem, constantem scilicet è duobus numeris paribus, quorum alter per alterum fuerit multiplicatus. Socratem etiam minus appositiè virtutes scientias fecisse; quia virtus scientia esse non potest, cùm non omnis virtus, sit in mente, siue *εἰ τῷ θεωρητικῷ ἡ φύσις*. Decimo tertio, est scientia omnis; sed quædam virtutes sint in parte animæ irrationali, id est, in appetitu, vt temperantia, fortitudo. Platonem ytrique animæ parti, tam rationali quam irrationali suas tribuisse virtutes, & id quidem rectè. Sed cum perpetram, *πραγμάτων*, tractationem de bono per se, id est, de idcā boni, cum virtute coniunxisse. Hoc vnum ratum firmumque impri- mis esse, vt facultatum & scientiarum omnium, finem esse bonum; ita Politicæ, optimum. De bono igitur agendum, quod nostrum sit & possit obtineri, non de illo Platonicō & Ideali: Aut de bono transcendentali, quod est in omnibus Categoriis, & nullius artis est proprium.

*D*ivisio bonorum. Secundo capite distinguit bona, in honorabilia, *πίστις*, quæ ait esse diuina, laudabilia *εὐπλοκή*, vt virtutes; *χρήσιμον*, facultates, siue bona externa & fortuna.

*Tom. 3.*

Tertiò, aliam bonorum profert diuisi- nem, in bona animi, corporis, & fortunæ, siue externa. Bona animi diuidit in pruden- tiā, virtutem & voluptatem. Tum finem bonorum absolutissimum docet esse felici- tatem; quam ait consistere *εἰ τῷ τέλῳ τοῦ περὶ τὴν οὐσίαν*, & *τῷ ζῆν*, vt lib. 1. Ethic.

Quarto, docet, virtutem in anima esse: nōsque vt per animam viuere, sic per vir- tutem bene viuere. Virtutem esse habitum optimum.

Quinto, animæ esse partes duas: ratio- nalem *νημα*, irrationalem alteram. In illa esse prudentiam, soleritiam, sapientiam; in hac temperantiam, fortitudinem, & alias Morales. Virtutem Moralem excessu & defectu labefactari, vt in Ethicis Nicoma- chis.

Sexto, virtutem esse in dolore & volu- pte moderandis.

Septimo, in anima esse perturbatio- nes, facultates, habitus. Ad habitum per- tinere virtutem: quæ consistit in medio- critate.

Octavo, virtutem esse medium inter per- turbationes: quæ sunt vel ægritudines, vel voluptates.

Nono, mediocritati excessum & defec- tum opponi; in nostra esse potestate bene, vel male agere.

Decimo, res naturales similia generare. Ut principium se habet, ita & principia- tum.

Vndecimum caput, creditur esse Val- lae explicatio ad caput decimum de trian- gulo.

Duodecimo, ab homine esse propriè- *τητήν*, actionem scilicet ex consilio & elec- tione profectam.

Decimo tertio, esse tres *οπίστες* appetitus species, cupiditatem, iram, voluntatem.

Decimo quarto, videri incontinentem non agere sponte, & ex voluntate; reuera tamen agere.

Decimo quinto & decimo sexto, agi- tur de violentia & necessitate, vt libro 3. Ethic.

Decimo septimo, de spontaneo & in- uitio.

Decimo octavo, de electione.

Decimo nono, de consultatione, vt ibi- dem.

Vigesimo finem virtutis esse *τὸν οὐλόν*, ho- nestum. Vigesimo primo, agitur de fortitudine, vt 3. Ethic. Vigesimo secundo, de Temperantia, vt ibidem. Vigesimotertio, de Mansuetudine. Vigesimo quarto, & reliquis, usque ad vigesimum octavum, de li- beralitate, illiberalitate, magnanimitate, magnificentia, vt lib. 4. Ethic.

Vigesimo octavo, *μείναστες*, de indi- gnatione, & *εἰς μυστηρῖα*, & de indignabun-

do. Quem ait esse laude dignum, quia dolet, bona indigenis, & mala bohis euenire, estque medius inter ἐστορεῖς, inuidentem, ἢ χαρέσθενον, maleuolum.

Vigesimonoно, *μὲν σημεῖτος*, de grauitate, quam definit *τὸς αὐδαδίας οὐκέτι μέσος τὸς αἰσθαντος*, mediocritatem quæ versatur inter propriam complacentiam, & alienam, utramque nimiam. Sunt enim hæc vitia duo, nimium placere sibi, & nimium aliis complacere.

Trigesimo, *μὲν αἰδοῦς*, de verecundia, de quâ extremo cap. lib. 4. Ethic. ad Nicom. diximus.

Trigesimo primo, *μὲν εὐγενιλίας*, de Urbanitate, de qua etiam libro 4. Ethicor. cap. 14.

Trigesimio secundo, *μὲν φίλιας*, de amicitia, & φίλῳ, & de amico. Quem ait esse medium inter assentatorem, plura alteri arrogantem; & infensum, derogantem. Sed de amicitia actum est copiosè lib. 8. & 9. Ethic. ad Nicom.

Trigesimo tertio, *μὲν ἀληθείας*, de veritate seu potius veracitate, ac quæ medium tenet inter ἀπόφευξιν, dissimulationem, & ἀλαζονεῖαν, & iactationem siue arrogantiam. Quâ de re lib. 4. Ethic. cap. 13.

Trigesimo quarto, *μὲν δικαιοσύνης*, de iustitia; de qua tam multa tamque præclara lib. 5. Ethic. ad Nicom.

Trigesimo quinto, repetit ex li. 6. Ethic. divisionem partium siue facultatum animæ, in eam quæ rationis est particeps, & alteram, quæ est expers rationis. Tum hac relata, illam duplēm facit, cōsultatricem scilicet, quam vocat *τὸς μόνιον βελούπτον*, & scientificam, *τὸς ὅμηρον*. Tertiò utramque distinguit ex obiectorum diuersitate: ut enim sensus inter se differunt per sonos, colores, odores, sapores; & ab intellectu: quod hic versetur circa *τὸν νοῦν*, intelligibile, illi vero circa *τὸν αἰσθητὸν*, sensibile: sic facultas consultatrix, à scientifica differt, quod illa circa sensibilia, mobilia, mutabilia, & quæ à nobis dependent, negotietur; hæc circa intellectilia & demonstrabilia. Postea differit de virtutibus mentis, scientia, prudentia, arte, intelligentia, sapientia, ut libro sexto Ethicorum ad Nicom. Definit etiam *τὸν κατάληψιν*, existimationem; quâ *τὸν αἴσθητον ἐπιμορφεῖσθαι*, de omnibus ambigimus, an sic habeant, vel non. Concludit, prudentiam esse dominam & architectonicam, respectu virtutum Moralium. At respectu Sapientiæ esse ministram *τὸν ὄμηρον*, quasi atriensem siue præfectam, procuratricem, vicariam, Gallicè, l'intendantem, quæ scilicet dominæ Sapientiæ otium faciat, & procuret: ut dum ipsa Prudentia affectus cohabet & regit, Sapientia quasi princeps placide & suauiter ad opus suum

accedat. Simile quid annotauit cap. vltimo lib. 6. Ethicorum ad Nicom.

### Liber Posterior.

#### Magnarum Moralium Aristotelis.

**A**bsolutur septemdecim capitibus.

Primo, agit Aristoteles *μὲν τὴς ἐμπειρίας*, & τὰ ἔπικους, de æquitate, & viro æquo, quem ait eum esse, qui de suo iure cedit, quod alioqui secundum leges habet. Ut lib. 5. Ethicor. ad Nicom. cap. 14. dictum est.

Secundo, *μὲν εὐγενεστωτής*, de moderatione in ferenda sententia. malè enim vertit Valla *modestiam*, quæ propriè virtus est mediocritatem seruans, in honoribus extensis; & quæ sic se habet ad magnanimitatem, ut liberalitas ad magnificentiam. De qua modestia dictum est ca. 10. lib. 4. Ethic. ad Nicom. sed hic agit Aristoteles, de ea virtute, quæ cum æquitate coniuncta est, ut docet textus clarissimus. Ceterum de hac moderatione in iudicando actum iam est cap. 11. lib. 6. Ethic.

Tertio, *μὲν ἀνεγέρτης*, de bona consultatione, quam etiam non satis accommodatè vertit Placentinus *promptitudinem*. quod bona consultatio prompta esse non debet aut festinata, sed matura & lenta. De hac verò actum adhuc fuit cap. 10. lib. 6. Ethicorum.

Quarto, *μὲν ἀκρατίας τὸν ἀκρατίας*, de continentia & incontinentia: de quibus etiam lib. 7. Ethic.

Quinto, *μὲν ἀνεισθῆτης*, de feritate, quæ est *ἀνεισθῆτης τὸς κακίας*, insignis & extraordinaria malitia: cuius contraria virtus, supra hominem est tanquam heroica & diuina. De qua cap. 1. lib. 7. Ethicor. Hoc loco notanda Aristotelis sententia illustris: Deum omni virtute esse præstantiore: ideoque virtutem in Deo non esse, qua scilicet Deus egeat ad sui perfectionem. Est enim natura perfectissimus.

Sexto, *μὲν ἀκρατίας τὸν ἀκρατίας*, de incontinentia & continentia, ut suprà, & lib. 7. Ethicor.

Septimo, *μὲν ἀδοκῆς*, de voluptate: de qua lib. 10. Ethicor. satis copiosè.

Octavo, *μὲν εὐηγέρτης*, de prosperitate, siue de bonis externis, sine quibus non potest esse felicitas. Sed *μὲν τὸν αἰσθητὸν*, de externis bonis, actum etiam est cap. 9. lib. 10. Ethicor. interim hic docetur Naturam eodem semper, vel ut plurimum ordine ac modo operari, fortunam *αὐτάκτως*, temere, inordinate, & *αἱ τέτυχε*. Ideo ubi mens plurima & ratio, ibi fortunæ minimum.

Dominum

Error  
Georgij  
Valla in  
versione  
Graci con-  
textus.

# DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

27

Dominum esse Deum, & bona malaque meritis distribuere. Deum iniustum dicere, nefas.

Nono, *mei παρογγελίας*, de honesta probitate, per quam dicitur quis honestus & bonus, cum est perfectè bonus: talis autem hic est apud quem simpliciter bona & honesta, sunt bona & honesta.

*Deterius est propter perfectius.* Decimo, docetur *τὸν ὁράνων λόγων αριθμόν*, agere ex recta ratione esse, quando pars animæ irrationalis, rationalem non impedit, aut auocat ab actionesua. In nobis esse partem vnam deteriorem; alteram, melioram. Illam esse propter hanc, ut corpus propter animam.

Vndecimo, agitur *mei φίλιας*, de amicitia, ut lib. 8. Ethic.

Duodecimo, *mei φίλιας συζητήσεως*, de amicitia affinitatis, quæ scilicet inter affines & consanguineos intercedit. Sed de hac di-  
Amicus amici spe-  
culum. tum est octauo lib. Ethic. cap. 14.

Decimotertio & decimoquarto, *mei φίλιας*, de amore sui, ut cap. 8. lib. 9. Ethiscorum.

Decimoquinto, statuitur, eum qui bonis abundat, & nullius rei est egens, opus tam  
amen amico habere, cuius adipectu, collo-  
quio & familiari consuetudine fruatur; esse enim amicum, alterum se, in quo ut in speculo se videre & nosse liceat: quod est in vita iucundissimum. Sed & beatum solum esse non debere, debere vero esse etiam beneficium. Quare amicis egere quibuscum viuat, & quibus bene faciat. Sed hac de re actum est cap. 9. lib. 9. Ethic.

Decimosexto, statuitur, neque multos habendos esse amicos, neque paucos. Ut cap. 10. lib. 9. Ethic.

Decimoseptimo, concluditur usum amicitiae diuersum esse pro diuersitate amicitiae.

## Summa Moralium Aristotelis ad Eudomium.

**Q**Vâ causâ & benevolentia adductus Aristoteles libros decem Ethiscorum scriperat ad Nicomachum filium, eadēm hos septem scribere aggressus est ad Eudemum sibi amicum & familiarem; ut nempe Eudemo viro probo & honestissimo ea explicaret, quæ ad doctrinam de moribus, ad fugam vitiorum, ad cultum virtutis, denique ad beatam vitam pertinent. Enim uero septem hi libri, Eudemij ab Eudemo ad quem mittuntur, cognominati, eiusdem sunt argumenti ac instituti cum decem Nicomachis: inquit, & cum duobus Magnorum moralium nouissimè explicatis; ubi beatitudine, virtutes, vicia, & agendi principia ex-

Tom. 3.

ponuntur; neque enim tantum diversa, aliave non tractant Eudemij, sed & eadem, iisdemque ferè verbis, de rebus iisdem, sacerdos repetunt documenta; ut mirum non sit, quod interpretem siue commentatorem nullum, ut neque duo Magnorum Moralium, obtinuerint, quorum scilicet doctrina *περὶ εὐδαιμονίας*, eiusdem sit generis, & rationis etiam doctrina Ethiscorum a tot tantisque auctoribus (quorum nomina in calce Tomi posterioris legere licet separato indice) amplissimis commentariis illustrata. Sed neque cognitus est horum Eudemiorum Metaphrastes, is nimirum qui eos Latinos fecerit, saltem omnes. Neque enim is fuit Leonardus Aretinus, qui Ethiscorum libros transtulit; ut facilè ex utriusque versionis ratione ac stylo colligi potest: itemque ex eo quod versio haec Eudemiorum, Aretini tempora antecesserit: sed Anonymus quidam, fortè Basileensis, doctus tam & in Aristotelis lectione non parum exercitatus, qui interim tres duhtaxat priores & forte septimum transtulit, cum quartus, quintus & sextus, qui iidem planè sunt cum quinto, sexto & septimo Ethiscorum ad Nicom. à Lambino fuerint translati. Si igitur eadem cantet, doceatque his Eudemis Aristoteles, cum iis quæ libris superioribus enarravit; atque etiam fere hic scribat disertiū ac popularius; abuti sanè videtur otio & literis, crabitèque coctam recoquere; si in iis exponendis essemus prolixiores. Satis ergo erit si summa sequamur fastigia rerum, & quasi lambendo percurramus:

## Liber primus Moralium Eudemiorum.

**H**abet capita octo, ubi de beatâ vitâ.

Primo statuit *εὐδαιμονίας*, felicitatem, esse καλλίστην, καὶ αέιστον αἰώνων, pulcherrimum, id est, honestissimum quid, omniumque optimum, atque etiam iucundissimum, contra Dei oraculum, quod hæc tria seiungebat, & simul esse posse negabat. Vbi citat Deliacum carmen, ut cap. 9. lib. 1. Ethic.

*Καλλίστην διεγείταντο, λαῶστον δὲ ιγνώσκειν,  
Παῖστον δὲ αἰώνος, καὶ τὸ εἴσα τὸ τοχεῖν.*

*Per pulchrum est iustum, valetudo est optima rerum,*

*Dulce frui optatis.*

Secundo, docet esse insignis stultitia argumentum, non referre vitam suam ad finem aliquem. Et debere omnes beatam vitam sibi proponere ut finem, priusque nosse quid sit.

Tertio, in beatitudine dijudicada, omitendas esse ægrorum, delirantium, puerorum

dij

*Finem non  
spectare  
ægrorum  
omnium;*

rum, & vulgarium hominum sententias,  
ἄποντος γαρ οὐχ οὐχίρηστος λόγον τοῖς λόγου μηδὲν διεμόνει,  
αλλὰ πάντας. Absurdum ratione agere, cum iis qui  
rationem non merentur, sed pœnam.

*Lib. 1. Ethic. cap. 3.* Quarto, vitæ genera esse tria, Politicum, Philosophicum, Voluptarium siue ἀπολαυστικόν. Politicos homines querere actiones virtutis, Philosophos, contemplationem veritatis, Voluptarios, corpoream voluptatem, ut beatitudinem.

Quinto, arduum esse ac difficile iudicare de iis quæ sint optanda & eligenda, in vitâ hac mortali & miserâ.

Sexto in probando plurimum valere cōsensum omnium hominum: κράπτον μὴ γέρει, inquit, πόντας αὐτούς πάντας σωματοθεωρίας τοῖς φύσιοις. Rationes in quauis methodo, id est, scientia, alias esse Philosophicas, id est, accuratas, demonstratiwas; alias probabiles. Imperitiam, τιὰ απαρτίσταις, esse, cùm quis iudicare non potest, aut discernere proprias rei rationes, à non propriis. Oportere interdum apparentibus argumentis insistere.

Septimo, & octavo, beatitudinem esse bonorum humanorum summum, & præstantissimum. Deo conuenire beatitudinem: Animantibus minimè. Non consistere in ideâ. Nullas esse ideas. Ut lib. 1. Ethic. cap. 4.

### Liber secundus Eudemiorum.

**H**abet capita vndecim. Vbi de beatitudine, virtute morali, & voluntario.

Primo, statuit, beatitudinem in vitæ virtutisque perfectæ functionibus esse repositam: vbi repetit multa ex cap. 3. lib. 1. Magnor. Moral. ex cap. 4. & 5. lib. 2. Ethicor. ex cap. 11. 12. & 13. lib. 1. eiusdem operis.

Secundo, virtutem Ethicam circa iucunda & tristia versari. Eam consuetudine augeri. Ut lib. 2. Ethicor. & lib. 1. Magnor. Moral.

Tertio, virtutem tenere medium inter duo virtia extrema opposita. Quod declarat ēn τὰς γενήσεις, ex tabella in textu consideranda.

Quarto, virtutes alias esse rationalis partis, ut scientias; alias, irrationalis, ut Mores. Mores sequi inclinationem ad voluptates, vel doiores.

Quinto, virtutem Ethicam esse mediocritatem circa voluptates & dolores.

Sexto, virtutes & virtia esse voluntaria.

Reliquis capitibus agit de voluntario, inuoluntario, violento, electione: vbi repetit ex lib. 3. Ethicor. & 2. Itémque ex lib. 1. Magnorum Moralium.

Videatur  
tabula  
virtutū &  
vitiorum  
in sexto  
perspicua.

### Liber tertius Eudemiorum.

**H**abet capita septem. Quorum primo de fortitudine, & ignauia siue metu. μετὰ αἰδῆς, καὶ τὸς δειλίας: Secundo, μετὰ εὐεργείας καὶ τῆς ἀκολασίας, de Temperantiâ & intemperantiâ. Tertio, μετὰ φρόνητος καὶ χαλεπότητος, de mansuetudine siue lenitate, & austoritate, siue morum asperitate. Quarto, μετὰ ελευθερίας, de liberalitate, eiusque virtutis. Quinto, μετὰ μητροφύγιας, de magnanimitate, eiusq; virtutis. Sexto, μετὰ μητροφρεμίας, de magnificentia. Septimo, de Nemesi, verecundia, amicitia, veracitate, urbanitate. Quibus omnibus capitibus, repetit ex lib. 3. & 4. Ethicor. ex libr. 1. Magnorum Moralium fere omnia.

### Reliqui libri Eudemiorum.

**Q**uartus quidem, qui de iustitia est; Quintus, qui de recta ratione, & prudenter, de virtutibus etiam mentis. Scientia scilicet, arte, &c. Item de Eubulia, synesi, gnome, & Sextus, qui de virtute heroica, continentia, incontinentia, & voluntate. Iisdem ac totidem verbis & ordine eodem, nisi quod interdum alia est capitum distinctione, leguntur inter libros Ethicorum ad Nicomachum. Itavt liber quartus Eudemiorum sit quintus Ethicorum; Quintus Eudemiorum, sit sextus Ethicorum: & sextus Eudemiorum, sit septimus Ethicorum. Vnde versio quarti, quinti, & sexti Eudemiorum eadem est planè cum versione quinti, sexti, & septimi Ethicorum; & ab eodem interprete siue translatore, Dionysio scilicet Lambino. Septimus vero & postremus liber Eudemiorum, qui de amicitia est totus, verbis quidem ac sententiarum ordine, ab octavo libro & nono Ethicorum, & à lib. secundo Magnor. Moralium differt; sed eandem reuerā doctrinam continet, ac repetit. Sed libri conclusio insignis est, scilicet re nulla Deum indigere, & actionem, quæ Deum considerare maximè facit, siue quæ ad Dei contemplationem refertur, esse omnium præstantissimam; contrariam vero, quæ scilicet Deū colere ac contemplari prohibet, pessimam. Esse autem metani hanc, finēque animi longè excellentissimum, ita nempe additum esse virtuti & contemplationi; ut non sentiamus partem animæ alteram, putâ sentientem, quatenus talis est; id est, ut nullas sentientis appetitus, ( quem vocat partem alteram animæ, ) agitationes, cupiditates, motusve importunos experiamur. Hic enim est virtutum humanarum apex ultimus.

*Insignis Theologia Aristote- lis & adoranda.* mus. hæc summa perfectio, hic τῆς καλοκαγα-  
δίαι ἐστι, inquit, hic τὸ ἀπλῶς ἀγαθόν, αὐτόπος, esse  
scilicet tam bene animo affectum; mentem  
habere adeo compositam, & puram, atque  
à perturbationum fluctibus liberam; ut nul-  
lum ne minimum quidem belluinae partis,  
id est, sensitivæ, motum persentiscamus.  
Quæ sententia planè diuina est, & digna  
quidem aureis literis inscribi, sed dignissi-  
ma quæ imis Christianorum etiam homi-  
num sensibus reponatur; quorum vota al-  
tiùs non feruntur, quām ut virtutis sensuum  
illecebris & cupiditatibus, sua mens &  
ratio vitam tranquillè & suaviter viuat: quæ  
in virtutis cultu, deique beatifica contem-  
platione, ut in fastigio felicitatis consistit.  
Hic mirare mecum lector candide, sapien-  
tiam Aristotelis; quæ dubio procul in ex-  
tremo illo generalis iudicij die, & sæculo-  
rum consummatione, impios, iniustosque  
homines, impuros, libidinosos, gulæ, &  
veneri deditos, suisque omnino addictos  
cupiditatibus, manifestè condemnabit. Sic  
igitur finiunt Moralia Eudemia.

---

*Libellus Aristotelis de Virtutibus & Vitiis.*

*A virtute mirabilis in animū harmo- chritudo inducitur.* Catalogus hic est potius, seriésque bre-  
uiissima quām liber, virtutum & vicio-  
rum; quorum scilicet summas definitiones,  
& officia propria, ex iis quæ haec tenus uber-  
imè dicta & repetita sunt in libris maioribus,  
summatim & veluti per quandam  
aīkaiōs, colligit, retexitq; Aristoteles.  
Sub finem tamen obseruat eleganter, vir-  
tutem inducere in animum, pulcherrimam  
quandam harmoniam, ex compositis mo-  
tibus, & in modum probè redactis. Itavt  
ex illa virtutis diathesi & temperamento,  
animus fiat optimæ reipublicæ simillimus.  
Interim virtutis proprium esse; ut sit bene-  
fica, beneuola, amica, clemens; facilis,  
mansueta, candida; τὴς ἡρεμίας, τὴς εαρίας.  
Vitij, contraria.

---

*Synopsis Politicorum Aristotelis.*

*V*T Theologia siue Metaphysica φυσι-  
κῶν τὴς ὄντων, princeps summa sci-  
tiarum ab Aristotele dicta est cap. 2. lib. 1.  
Metaph. in genere contemplandi scilicet,  
siue Theoreticè, (ut ego quidem interpre-  
tor,) & ratione cognitionis excellentissi-  
mæ, quæ de Deo est, rebusque præstantis-  
simis, & constantissimis: sic Politica ab eo-  
dem dicitur, κωνσταντία, καὶ μάλιστα φυσικῶν, maximè domina, & iure optimo omnium  
scientiarum artiūmque imperatrix, cap. 1.

lib. 1. Ethicorum ad Nicomachum, in ge- *Etc ap. 12.*  
nere agendi scilicet siue practicè, & quoad *lib. 3. Polit.*  
imperium ac directionem externam, seu ci-  
uilem. c. 1. vel iuxta Petion. 2. lib. 1. Ethic.  
Tis ἡ πόλις τὸν τύπον τῆς ὁμοίωσις τῷ τύπῳ τοῦ θεοῦ, τῷ τύπῳ τοῦ θεοῦ, τῷ τύπῳ τοῦ θεοῦ.  
οὐδὲ μηδὲ τὸν τύπον τοῦ θεοῦ, τῷ τύπῳ τοῦ θεοῦ, τῷ τύπῳ τοῦ θεοῦ.  
Enimuero Politica præcipit decernitque de *Politica regina scientiarum practicè, & quoad externam directionem.*  
omnibus scientiis, quasnam scilicet sci-  
entias tractari oporteat in ciuitatibus, & quo  
fine, & quibus modis. Sed & videmus fa-  
cultates artesve nobilissimas ipsi Politice  
esse subiectas, ut militarem siue imperato-  
riam, œconomicam, & oratoriam. Quare *nem.*  
ut artium omnium propriè dictarum, itém-  
que practicarum & moralium disciplinarū  
absolutè princeps est, ac regina Politica; sic  
& scientiis contemplantibus, ut Physica,  
imò & Theologia, dici potest aliquatenus,  
& secundūm quid illustrior, & su-  
perior, quatenus scilicet certas quasdam ea-  
rum tradendarum leges formulásque ciu-  
iles & externas tradit, ut quod in tali loco,  
ab hoc, vel illo professore, tali hora, tanto  
tempore doceantur. Hinc igitur honorifi-  
cis titulis iisque pluribus insignita & deco-  
rata fuit Politica, quæ ab aliis sapientiæ hu-  
manæ parens, ab aliis magistræ legum; nunc  
scientia regum, principum, imperatorum,  
nunc ὄντων τὸ διάνοιαν, scientia, & fa-  
cultas regia; nunc ars regnandi, nunc  
τὸν αἰθριόν τοιωτιας σωματικὸν, coagulum &  
nexus societatis humanæ; alias ὄντων τοῖς  
ὄντων, scientia directrix ἔξτερarum, alias  
virtus omnium humanarum perfectissima,  
a Socrate, Xenophonte, Platone, Plutar-  
cho & aliis fuerit appellata. Neque id qui-  
dem immerito. Est enim Politica, Scientia  
hominum regendorum; vel ciuitatis seu  
republicæ iuste sapienterque administran-  
dæ, ut videlicet ij qui in eadem republica,  
ciuitate, aut regno viuunt, omnes bene fe-  
liciterque habeant; virtutem non dominâ-  
tum & erga suos, sed palam & publicè, erga  
principem conciuésque suos bono animo  
exerceant, salubriter degant, bonis exter-  
nis non egeant, summâque tandem pace  
potiantur. Quibus officiis, & finibus, nihil  
profectò melius ac præstantius esse potest,  
cùm iis publica salus, & felicitas totius hu-  
mani generis contineatur. Habet verò no-  
men Politica, ἀπὸ τῆς πόλιτειας: quæ vox ciu-  
tatis ordinem & administrationem signi-  
ficat, ταῦτη τὸν τύπον, ut infra cap. 6. & 7. l. 3.  
Politici loquitur Aristoteles: πόλις enim ci-  
uitas est, unde πόλιτεια καὶ πόλιτης, ciuitatis  
gubernatio, & πόλιτης, id est, eius. Ut erga  
ciuitas est eiusdem unitas, siue hominum iure  
sociatotum multitudo ritè congregata; sic  
πόλιτεια, vel respublica, est ipsa ciuitatis aut πόλιτης  
ciuium ordinatio siue directione. Quanquam  
ciuitas Aristotelis societas est perfecta, mul-  
d iiij

## SYNOPSIS ANALYTICA

*Ciuitas è  
domibus.  
Causa so-  
cietatis  
Politicae.*

tisque vicos constans, omni genere bonorum abundans, & ad bene viuendum instituta, ex cap. 2. lib. 1. Polit. Et societatis quidem Politicæ origo prima à familiis est, siue domibus, ex quibus scilicet amplificatis vicis, & tandem ciuitates urbésque extiterunt. Ad societatem vero seu ad vitę communione adducti fuere homines, natura, indigentia, & iniuriis. Natura quidem, quia homo natura est animal politicum, & societas amans: Indigētia, quia non habet unus à se omnia, sed aliorum opera, arte, & auxilio eget: Injuriis, quia possunt homines alij ab aliis vexari, tam ab externis quam à domesticis; & saepè saepius lites & controversiae oriuntur; quæ ut dirimantur, & injuriæ etiam depellantur, opus sanè est lege, rege, iudice, magistratu prudente, iusto & potente, cuius iudicio & auctoritate homines gubernentur. Hinc igitur ciuitas, hinc Politica, quæ scientia est hominum prudenter & iustè regendorum, & cuius finis est Elysia, publicaque omnium hominum beatitudo, atque adeo bonorum omnium maximum & absolutissimum. Hæc vice proœmij.

*Summa librorum Politicorum Aristotelis.*

**R**Empublicam, ciuilisque societatis leges & optima instituta amplissimè ac pulcherrimè descripturus Aristoteles, disciplina Politicæ initia sumit ab explicacione partium ciuitatis: quas libro primo diligenter enotat ac distinguit, vbi de domo, familia, vico, vicinia, viro, uxore, coniugio, herbo, seruo, seruili imperio, arte quæstuaria, re uxoria, & paterno imperio, uberrimè differit. Tum pro sua docendi ratione ac methodo, antequam ipse statuat de optima republica, & gubernandi forma præstantiore, proponit libro secunda varias reipublicæ, siue gubernationis Politicæ formas, quas nobilissimi quique legislatores tenuerunt, aut Philosophi celebriores descripsérunt. Libro autem tertio agit de Ciuitate, & ciue, de republica, siue politia, ciuiisque formis, siue generibus, regno scilicet, (quod appellat nunc βασιλεία, nunc μεραρχία,) Aristocratia, & Politia: quæ tertia ratio regiminis commune nomen retinet. vbi etiam oppositas regiminum formas, Tyrannidem, Oligarchiam, Democratiam perstringit, & sub finem libri maximè de Regno pertractat.

Libro quarto agit de Republica, id est, de Politia, tertia illa boni regiminis forma: item de Democracy, ei opposita; Oligarchia etiam, & Tyrannie. His subiungit Senatus, Magistratus, & Iudiciorum descriptionem.

Libro quinto, de causis mutationum, subversionum, conseruationum reipublicæ, tractat sapienter & copiosè.

Libro sexto, de Democracy & Oligarchia iterum differit; eo quod suo tempore celebres essent hæc duæ regiminis forme.

Libro septimo & octavo, de optimo gubernandi statu, perfectaque republica egregie & luculenter, & ex proprio sensu ac iudicio philosophatur, docētque quibus in rebus optima & beatissima ciuium vita collocanda sit. Vbi de ratione urbium condendarum, earum situ & magnitudine, agro ad urbem extruendam commodissimo, incolis siue ciuibus, publicorum locorum edificatione, recta ciuium institutione, matrimonio, eiusve celebrandi tempore, liberis alendis, & educandis. Atque hec quidem exequitur septimo libro.

Octavo autem de institutione puerorum, & artibus iis quibus debeant informati; Grammatica, Gymnastica, Musica. Sed per incommode ac infeliciter accidit, vt hic sit finis Politicorum Aristotelis; & primatum reipublicæ Aristoteleæ, sanè quā omnium quæ à veteribus descriptæ sunt, optimæ ac pulcherrimæ; institutio, artas, ac pueritia nobis hodie sola supersit, & pars quædam adolescentiæ. Reliqua enim profectò longè maiora, ampliora, & fortè omnium præclarissima: vel temporum iniuria, vel incuria hominum, non sine doctrinæ Politicæ damno intercederunt. Est igitur opus hoc Aristotelis *πολιτικῶν*, siue de Republica, *μετεγγνώμης*, mutulum quidem & imperfectum, sed tamen præclarum, elegans, eximum, illustre, plenum doctrina, & ingenio, sed & methodo accurata descriptum, atque etiam stylo faciliore, diffusiore, ac liquidiore exaratum, & regum principumque omnium otio ac lectione dignissimum.

*Liber Primus Politicorum.*

**A**bsolutitur capitibus iuxta præsentem editionem, & Dionysij Lambini versionem, tredecim; iuxta Perionij, Casii & Giphaniij ordinationem, octo; sed quæ in tres partes reduci possint. 1. Est de domo & vicis: quæ scilicet partes sunt ciuitatis, quam hoc loco descripturus est Aristoteles. 2. De re domestica, siue *mei τῆς οἰκογένειας*, cuius tres formæ siue societates explicantur, herilis; coniugalis, siue uxoria; & paterna, siue patria. 3. De arte quæstuaria, siue de ratione rei quærendæ, quam Græci *χρηματακουλόν* nominant. Quanquam sic disposita est rerum tractatio, vt post explicationem herilem societatem, statim de Chremistica dicatur, deinde vero ad rem coniugalem

# DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

31

coniugalem & paternam sermo conuertatur.

## Ad Cap. primum.

**O**Rditur ab illustri, ut solet, proloquo. Omnem scilicet societatem esse propter bonum aliquod institutam; ut hinc doceat, ciuitatem siue societatem ciuilem, quæ omnium est præcipua & nobilissima, esse propter bonum omnium summum & præstantissimum institutam. Tum arguit eos qui putant, Politicum, Basilicum, Oeconomicum, & Despoticum idem esse & sole numero differre. Ait enim specie & officiis differre. Tertiò methodum ponit cognoscendæ ciuitatis, ut nimis primò sit dispiciendum, quibus ex partibus ciuitas constet. Quo loco notat methodum Analyticam, & Syntheticam: sed hanc hīc sequi videtur.

## Ad Cap. secundum.

**R**Em Oeconomicam siue societatem domesticā expositus, (est enim primus hic liber potius oeconomicus quā politicus,) statuit primò necessum esse eos cōiungi, & cōiungere, quorum alter sine altero esse, seu viuere commodè non potest. Ut sunt mas & fœmina, qui & *γένος ἔρετος*, propagationis gratia copulantur, naturę instinctu, non & *προσεγένετος*, ex consilio, ut in ceteris animantibus. Ex quo colligit maris & fœminæ coniunctionem esse naturalem. Deinde docet ea etiam naturę lege coniungi, quorum vnum naturā imperat, alterum obtemperat: illud autem imperare natura quod prudentia consilioque præcellit; & mente plurimū valet: obtemperare autem seu imperio subijci id quod corpus robustum à natura habet, ut possit ea præstare quæ sibi imperantur. Vnde significat, herilem societatem, quæ est inter herum imperantem, & seruum obtemperantem, si modò ille animo valeat, hic corpore, esse etiam naturalem. Vbi monet, fœminam distingui à seruo, per naturam: nempe quia fœminæ naturalis usus est generatio; serui autem, ministerium commune domus.

Gladius.  
Delphicus  
quid.

in oīos.

*Οὐδὲν γάρ οὐ φύει ποιεῖν τοῖς τοῖς, οὐδὲν γάλακτον ποιεῖν τοῖς τοῖς.* Nihil quippe natura fecit tenuiter & parcè, ut fabri gladium Delphicum, quo sacrificuli olim utabantur in victimis macrandis, & carnafices in nocentibus percutiendis; *ἀλλ' εἰς τοῖς τοῖς*, sed vnum, (instrumentum supple,) ad vnum, (usum supple,) putat mulierem ad generationem, seruum ad ministerium commune. Concludit ergo, è duabus hisce societatis, uxoria & seruili, familiam seu domum primò constare: Definitque domum, societatem in omnes vitæ dies constitutam, secundum naturam. Cuius habitatores vocatos esse ait à Charonda legislatore: *μονῆς, coniuctores, & eadem arca panaria utentes:*

vel *ομοιογένετος*, codem foco etiam utentes, ab Epimenide Cretensi. Tum definit *κώμη*, vicum, primam societatem è pluribus dominibus conflatam, alicuius quidem boni & usus gratia: sed non quotidiani: quia qui in eodem vico manent, non quotidie sibi adsunt, ut qui in eadem familia viuunt. Esse *πόλις*. verò *κώμη*, vicum, *πόλεως οἶκος*, coloniam aliquam domus secundum naturam, quæ continet consanguineos & collactaneos, *ομογένετος*, qui scilicet in eadem domo fuerunt prius enutriti, deinde verò in alias domos, vnde vicus existit, dispersi, vni tamen antiquiori, id est patrifamilias, obedientes. Hinc colligit imperiorum primum in ciuitatibus fuisse regnum. Cum enim ciuiles societas ortæ sint è domesticis, hæ autem, regio veluti imperio regantur, (pater enim familias est veluti rex familiæ suæ,) præfecto ciuiles etiam societas regno fuerunt, principio, administratæ. Accedit quodd Dij ipsi vni summo regi, id est Ioui, pareant, sēpérque olim paruerint. Ergo & homines principio regibus paruerunt; qui scilicet, ut specie & figura, sic & vitæ ac imperij modo, Diis se similes arbitrantur. Postea definit *πόλις πόλις*, ciuitatem, (& hinc incipiunt quidam caput tertium,) Societatem perfectam ex pluribus vicis conflatam, in qua id omne quod satis est, perfectissimè insit, & quæ orta quidem sit viuendi causa: constituta autem permaneat bene viuendi causa. Addit, ciuitatem esse secundum naturam, ut priores societas è quibus constat. Hominem etiam natura esse *πλιτκὸς ζῶος*, animal ciuale. Cui ideo sermo tributus sit, scientia animalis ad iustitiae cultum, & ad ius dicendum, ut animantibus vox ad molesti & iucundi significationem. Sermo enim ad utilia & noxia confert, quæ ad iustitiam spectant. Quare *ἄνθρωπος*, qui à ciuitate segregatus est, vel fera est, vel Deus, non homo: Qui scilicet vel ob morum feritatem non possit inter homines agere; vel ob *αὐτικήν*, siue bonorum sufficientem copiam, non egeat hominum societate & auxilio. Concludit, ciuitatis fundatorem maximorum bonorum auctorem fuisse, iustitiae scilicet: vnde dicit, iudicium, quod est *πλιτκῆς κοινωνίας τέλος*, ciuilis societatis ordo, quo nihil melius, nihil excellenter. Hoc loco arma hominis vocat prudentiam & virtutem; atque nihil esse iusto perfectoque homine melius; eodem iniusto nihil deterius, præsertim armato.

## Ad Cap. tertium.

**D**icturus mei oīos, ab eius simplissimis partibus orditur, quæ sunt *τιτάνος* & *θύλας*, dominus & seruus; & *πάτερ* & *έλοχος*, & vir & vxor; & *πατής* & *τίταν*, & pater & liberi. Vnde existunt rationes seu formas tres domus siue familiaris, *triplex*.

*τελεστήν, γενικήν, τελεοπτικήν.* Quibus annumeratur *χρηματικόν*, id est, ratio rei nummariæ comparandæ, vel ars quæstuaria. Dicendum ergo ante omnia de domino & seruo.

*Ad Cap. quartum.*

*Res familiaris est pars domus.*

*π. δούλως.*

**S**TATUIT PRIMO *τὸν κτίσιν*, possessionem, siue rem familiarem, esse partem domus, cum sine re vivere nemo queat; atque adeo *κτητικόν*, esse partem *τῆς οἰκονομίας*. Deinde ut cæterarum artium, sic œconomicæ esse sua instrumenta. Et horum quidem alia esse *άνυλα*, inanimata, ut gubernaculum nauis: alia *ίμυλα*, animata, ut est proræ präfectus: Seruum autem esse rem posses- sum, *κτῆμα*, & instrumentum animatum, *καὶ τεγέτελον τὸ τέλος τὸν κτίσιν*, & ministrum eorum quæ ad actionē & vitæ humanæ usum pertinent, non quæ ad effectionē *τὸν πολίτην*. Quare seruum *τὸν διάλογον*, esse *οἰκιαρον περιπτών*, non *πεινακόν*, ut est gladius, dolabra: omninoque domini, sed itaut sit *χειστόν*, separatum, non coniunctum, ut manus. Vnde definitur seruus instrumentum animatum, agens, & separatum, non sui, sed alieni iuris. Placet serui Appelleam descriptionem & pieturam obiter attexere. Pinxit hominem aures asininas habetem, ut significaret seruum in audiendo domini consilio tardum esse debere, non celerem, nec curiosum; item nares porcinas, ut diligentiam in sentiendo & colfaciendo domini commodo exprimeret; manus etiam omni genere instrumentorum refertas, ut ministrandi animalium ad omnia officia präparatū; ventrem macilentum, ut vite frugalitatem; pedes ceruinos, ut celeritatem & agilitatem corporis ad promptè exequendum; labia seris duabus clausa & obsignata, ut fidem & taciturnitatem repræsentaret.

*Ad Cap. quintum.*

*Est quæda naturalis seruitus.*

*Insignia Theore-mata.*

**S**TATUIT esse seruitutem naturalem; siue, quod idem est, quosdam homines esse natura seruos; ut & quosdam natura liberos & dominos. probationis formula est. Quæ ex multis partibus constant, coniunctis vel diuisis, in iis est unum quid, quod per naturam imperat, & alterum quod paret. Atqui hominum societas constat multis partibus diuisis, id est, diuersis personis: ergo in hominum societate erit unum quid, quod imperat; alterum quod paret. Sed ante probationem maioris quatuor Theorematata prämittit. 1. Imperare & parere esse necessarium & utile. 2. Quædam ad imperandum, quædam ad parendum nata esse, & à primo sui ortu sic comparata. 3. Imperiorum plura & diuersa esse genera. 4. Imperium aliud esse alio prästantius. Sic imperium in homines nobilius esse imperio in bestias. His positis probat allati syllogismi propositio-nem, tam in rebus inanimis, quam animatis. In inanimis enim docet imperium esse

harmonicum, quo scilicet partes inter se ele-ganter consentiunt, itaut ipsa forma, har-monia & ratio dispositionis sit veluti impe-rans, materia autem siue res ipsæ dispositæ, sint ut obtemperans. In animatis vero tri-bus modis principatum reperi: primò, ratione partium, animæ scilicet & corporis: illam enim naturaliter imperare, hoc ob-temperare. Et tale quidem imperium esse despoticum seu herile, id est, quale domini in seruum; imperium autem mentis in ap-petitum, esse politicum & basilicum. Se-cundò ratione ipsorum animalium inter se *petitus politiciæ*: iis enim imperare homi-nem, ut eorum principem vel dominum. Tertiò ratione sexus. Marem enim natura imperare, fœminam parere. Si igitur homi-num alij ab aliis distent, ut anima à corpo-re, ut bestia ab homine, certè æquum erit, ut inter hæc, sic inter illos, esse naturalem quandam imperandi & parendi legē, adeo ut alij natura imperent, alij natura seruant. Hos igitur sic inter se esse distinctos, ut qui animo & ratione prudentiaque plurimum natura valent, lege naturæ sint domini, qui vero corpore präpollent, atque eius usu & officio ita excellunt, ut nihil ab iis aliud ex-pestat possit melius ac prästabilius, hi-na-tura sint serui, qui scilicet nati sunt, ut non sui sint sed alterius, & non sua propriaque ratione & consilio viuant, sed alterius. Con-cludit, naturam velle, corpora, *τὴν ἐλευθερίαν* & *τὰ δουλῶν*, liberorum & seruorum, diuersa facere, hæc quidem ad usum vitæ necessarios & commune ministerium, idonea; illa autem erecta, & ad ciuilem vitam non ad officia corporis, comparata. Accideret a-men sæpe contrarium, ut scilicet corpora, alij animos habeant *τὴν ἐλευθερίαν*.

*Ad Cap. sextum.*

**S**TATUIT esse seruitutem aliquam legiti-mam & ex hominum instituto diuer-sam ab ea quæ naturalis dicitur. Quæ serui-tutis distinctione posita, excusat eos qui ne-gabant esse seruos à natura ullos. Significat enim eos de seruis bello capti, & legitimis, *καὶ τῷ ρόμον*, locutos fuisse. Quo sensu fatetur ipse nullos esse natura seruos: Tales enim serui sunt *τοῦ σωστικοῦ*, ex hominum com-muni pacto & institutione, id est, ut loquun-tur Iurisconsulti, ex iure gentium. Quod est eiusmodi, ut bello capta, sint eorum qui vicerunt, atque adeo victi seruant victori-bus. Hanc tamen seruitutem ait nonnullos grauem & iniquam existimasse, quod iniu-stum videatur, ob solam potentiam alterum dominari, & ob solam imbecillitatem seruire alterum: deberi enim imperia virtuti, non potentie: Alios vero iustum putasse, quod virtus *τυλχαῖνον χρεῖας*, instrueta com-meatu, & adiumentis ac viribus freta, maxi-mè vim facere possit. Item quod equum sit

*Anima imperat corpori despoticè: mens ap-Comparatorum: iis enim imperare homi-nem, ut eorum principem vel dominum. Tertiò ratione sexus. Marem enim natura imperare, fœminam parere. Si igitur homi-num alij ab aliis distent, ut anima à corpo-re, ut bestia ab homine, certè æquum erit, ut inter hæc, sic inter illos, esse naturalem quandam imperandi & parendi legē, adeo ut alij natura imperent, alij natura seruant. Hos igitur sic inter se esse distinctos, ut qui animo & ratione prudentiaque plurimum natura valent, lege naturæ sint domini, qui vero corpore präpollent, atque eius usu & officio ita excellunt, ut nihil ab iis aliud ex-pestat possit melius ac prästabilius, hi-na-tura sint serui, qui scilicet nati sunt, ut non sui sint sed alterius, & non sua propriaque ratione & consilio viuant, sed alterius. Con-cludit, naturam velle, corpora, *τὴν ἐλευθερίαν* & *τὰ δουλῶν*, liberorum & seruorum, diuersa facere, hæc quidem ad usum vitæ necessarios & commune ministerium, idonea; illa autem erecta, & ad ciuilem vitam non ad officia corporis, comparata. Accideret a-men sæpe contrarium, ut scilicet corpora, alij animos habeant *τὴν ἐλευθερίαν*.*

*Datus seruitus le-galis.*

# DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

33

*Seruitus* sit virtutem imperare: at virtus siue præstantia quædam, & pugnandi fœlix dexteritas est in victore, quæ non est in victo. Sed

*legalis*, *et iusta*, sapienter controuersiam dirimit Aristotele<sup>s</sup> seu Ies, cùm ait bellicam seruitutem ex parte

*simpliciter* *non iusta*. iustum esse & secundum quid, quatenus sci-  
lique-  
tum in ista, licet lege communi, & iure gentium, quod

hoc loco τῆς ὀμολογίας nomine significatur, est constituta, absolutè autem, ὅτις, vniuer-  
sè & simpliciter non esse iustum. Primò,

quia fieri potest, vt bellum sit iniustum; er-  
go quicquid ex tali bello continget, erit iniustum; At fieri potest vt ex tali bello sequatur seruitus, itavt ij qui victi fuerint, aliis

iniuste pugnantibus seruire cogantur: Talis igitur seruitus erit iniusta. Secundò se-  
queretur, omnes bello captos & viatos

iure esse & dici debere seruos; at hoc ab-  
surdum. Sic enim præstantissimos quo-  
que, καὶ τὸν εὐχεῖτον, virtute, prudentia, for-  
titudine ac generis nobilitate illustres;

licere seruos appellare, si videlicet bello ca-  
pti essent; quod sanè videtur iniquum, cùm  
hi sint natura & suo merito liberi ac do-  
mini. Hinc apparet, inquit, esse alios vbi-  
que ac semper seruos, qui scilicet tales sunt

natura; alios minimè. Item alios esse sim-  
pliciter ac vbiique nobiles, alios καὶ αἰνῶς,  
sed tantum domis uæ; & ex parte, atque

*Libertas*, *& nobili-* Libertatem, & seruitutem, nobilitatem, &  
*tas à vir-* ignibilitatem, non ex fortuna aut bello,  
sed ex perfectione naturali, prudentia, vir-  
tute, aut contrariis esse estimandam. Quæ

doctrina pulcherrima est, & in Ethico Phi-  
losopho admicanda, principatum & nobili-  
tatem ad prudentiam & virtutem refe-  
rente. Licet id ipsum Satyricus poëta ce-  
cinerit;

*Iumentalis.* Tota licet veteres exornent undique ceræ

Atria: Nobilitas sola est atq; unica Virtus. Concludit inter dominuni & seruum na-  
tura amicitiam reperiri, communemque  
vtilitatem; nihil autem tale inter dominos  
& seruos ex bello, καὶ ἕρως, quia nempe  
illis, non his, natura sic consuluit, vt utrū-  
que suauiter vtiliterque coniunxerit; dum  
scilicet imperium domini ipsi domino  
commodum, & seruitutem ipsi seruo vti-  
lem instituit, adeo vt iustissimum sit & utri-  
que maximè consentaneum, vt hic seruiat,  
ille imperet;

Ad Cap. septimum.

*Seruitus* naturalis, *ipsi seruo*, *vñilis.* Statuit, τὸν Στάστια, καὶ πληπλώ, impetuū  
herile & ciuile differre: quod ciuile sit  
corum qui natura sunt liberi; herile autem,  
seruorum. Item domesticum sit monarchi-  
cum, siue vnius præstantioris; ciuile, plu-  
rium qui liberi sint & æquales. Hic enim  
per ciuile imperium intelligentum est illud  
republicæ genus, quod politia dicitur, ubi  
multi sunt imperantes, putà multiplices

Tom. 3.

magistratus; & ciues omnes sunt liberi, in-  
ter quos imperandi & parendi est vicissitu-  
do, vt inter pares. Tum docet dominum  
siue herum non ex scientia dominandi, aut  
possessione seruorum, sed ex eorum vnu  
esse dominum: neque verò scientiam heri-  
lem, aut seruilem, magnum aut egregium  
quid continere: atque hinc fieri vt qui do-  
mini hac rei familiaris cura se possunt li-  
berare, vt cùm ditiōres sunt, constituant  
ἐπιτελον, siue procuratorem, Gallicè, ὑπο-  
tendant: ipsi verò ad res grauiores animum  
adiungant: putà ad rem publicam, vel ad  
Philosophiam, ἢ πολιτεύουσα, ἢ φιλοσόφηση.  
Hinc colligitur studiorum philosophico-  
rum nobilitas.

Scientia  
herilis.

Ad Cap. octauum.

**O**Economica est vel personarum, vt  
patris familias, vxoris, liberorum,  
seruorum: vel rerum, vt sunt possessiones  
& diuitiae. Egit suprà Aristoteles de hero  
& seruis; itaque de uxore & liberis dicere  
deinceps oportebat; sed quia τὸν κτηνικὸν καὶ  
κτηματα, artem quæstuariam, & possessiones  
siue res, iam suprà cap. 3. attigerat: ideo re-  
licta in finem libri personarum considera-  
tione, res nunc explicat, & artem possiden-  
di, quæ κτηματικὴ dicitur, siue rei numma-  
riæ querendæ ratio, doctè grauitérque  
pertractat, sumpta hinc occasione, quod  
seruus sit pars possessionis, vel res aliqua  
possessa.

Statuit igitur primò Chrematisticam dif-  
ferre ab œconomicâ, quia utriusque sunt di-  
stincta qua-  
uersæ rationes & officia; cùm illius sit rit, œcono-  
mī meiūdū, quærere & suppeditare, huius mica vti-  
tū κτηματα, vti. Secundò quærerit, an Chre-  
matistica siue ars quæstuaria sit pars œco-  
nomicæ, vel eius famula, & administra.

Respondet, facta distinctione Chrematisti-  
ces in Naturalem, & Artificialem. Ideo  
autem diuidit hoc modo Chrematisticam;  
quod res familiaris, vel à natura, vel ab ar-  
te suppeditetur sine commerciis. Naturæ  
lem ergo quæstuariam subdiuidit secun-  
dūm vitæ genera & modos. Hi verò ali-  
mentorū & victus differentia diiudicantur.

Hinc enim animalia pro ratione diuersa pa-  
buli & victus, diuersum etiam vitæ genus  
ac modum sequuntur; vnde alia, ἀγελαι,  
gregalia, vel congregata; alia συγεδήση, fo-  
liuaga, quæ sparsum & vagè viuunt: hæc si-  
quidem sunt ζωοφύτα, & alia animalia deuo-  
rant; illa, καρποφύτα, & fructus comedunt;

alia sunt μημοφύτα, quæ omni genere pabu-  
li vescuntur. Tum docet eandem esse in  
hominibus rationem, quorum scilicet di-  
uersa sunt viuendi genera, quia tamen ad

tria potissimum reducantur. Primum est vita pa-  
rœ pastorum, quos ait esse homi-  
num ἀγροταῖς, pigerrimos, quibus scili-  
cet victus contingat, ἀπὸ τῆς μημοφύτων ζῶντας, &

Venato-  
ria.Agricul-  
turaOmnia  
propter ho-  
minem.Iustum est  
homines  
natura  
seruos bel-  
lo venari.

Vera di-  
uitia sunt  
à natura.

*Iustum est homines natura seruos bellum venari.*

Atque interim veras diuitias eas esse, quæ ad naturalem illam Quæstuariam pertinent, vt sunt fruges, fructus, pectora, & similia: nempe quia satis sunt ad viuendum, & præterea finitæ sunt. Veræ enim diuitiæ in infinitum abire non debent: alioquin nemo reuera diues unquam diceretur, hominésque omnes semper essent egeni ac pauperes. Falsò enim dixit Solon, *πάντα τούτη τίμησε*, non esse diuitiarum finem, nisi de diuitiis iis loquatur, quæ non quidem naturales, sed potius humanæ sunt & artificiales: quæ scilicet ex commerciis ac rerum permutationibus comparantur. De his enim verum est illud, quod dici solet.

*Finis opum nullus positus mortalibus ægris.*  
Sed tales diuitiæ, vt sunt pecunie, non sunt vera diuitiæ, vt dicet cap. sequenti.

*Ad Cap. nonum.*De artifi-  
ciali Quæ-  
stuaria.

**A**git de alio genere Cretices siue quæstuarie, quod ait maximè propriè dici Chrematisticem, quæ nimirum sit artificialis ratio rei quærendæ, diuersa à naturali superius exposita. Docet igitur primò, rei cuiusque possessiæ, *ἐκάστου κτημάτων*, esse vsum duos per se. Vnum quidem proprium rei qualis est, vt est *κατασκευή*, calceatio, respetu *τοῦ κατασκευής*, calcei. Nam proprius vsum calcei est calceatio. Alterum non proprium licet per se. Vt est *μεταλλική*, permutatione rei, putà calcei. Non enim calceo utidum taxat possumus ad calceationem, sed etiam *ανθρώπινος ἔρεξις*, permutationis ergo, putà vendendo, siue calceum permutando, vt vi-

ctum inde vel pecuniam comparemus. Permutatio igitur est vsum rei per se, non tamen proprius. Docet secundò indigentiam & copiam esse causas permutationis. Ideo enim fieri rerum permutationem, quod alij certis rebus abundant, alij egeant. Sic quia natione una eget vino, & abundat tritico, altera contra; illa suum triticum commutat cum huius vino. Vnde sit utique satis. Et hoc quidem modo, *καὶ τὸ τέλος φίλον*, ex eo quod est secundum naturam, primum ortam esse ait permutationem: Quia sic ad vsum vitæ necessarios refertur, & ad id quod satis est. At *τὸν καπιταίνιον*, mercaturam non esse Quæstuarie naturalis; quia Quæstuaria naturalis est propter necessaria & ea quæ sunt satis: At mercatura querit maiora & plura quæ satis sunt satis. Docet tertio, mercaturæ nullum esse vsum, *καὶ τὸ τέλος οὐτονομία*, id est, in prima societate, quæ est domus siue familia, quia in domo omnia sunt communia. Non est autem mercaturæ locus, vbi est rerum communis vsum. Esse vero mercaturæ vsum in amplificata societate, id est, in vicis, & aliis societatibus distinctis & separatis: vbi scilicet rerum vsum & dominia distincta sint. Hoc loco notandum venit vocabulum, *καπιταίνιον*, quod nos mercaturam vertimus, sumi ab Aristotele generatim, pro quavis mercandi ratione, siue domi fiat, siue alibi, siue exportando, siue importando: ideoque male nonnullos vertere cauponiam, quæ est mercatura domi facta. Sunt enim, vt obiter dicam ex Platone, tria mercaturæ genera, *ἀντηπολιτεῖον*, quod est eorum qui suas ipsi res & fructus vendunt, vt rustici & opifices, *εμπόροι*, eorum qui merces exportant, vel important, quasi peregrinantes; *καπιταίνιον*, eorum qui domi suæ merces suas venditant. Docet quarto Numorum vsum recte & sapienter fuisse introductum, ad mercaturæ scilicet facilitatem. Res enim pro rebus non semper dari & commutari facile possunt: Præsertim cum loca siue regiones à se inuicem longissime distant. Quare opus fuit communi quodam facilique instrumento, vt est numus, ad communitatem permutationis; siue numus gravis esset, id est ferreus, vel argenteus, & definitæ magnitudinis ac ponderis, qualis fuit initio, siue signatus; id est certo charactere qui valoris esset index, notatus & distinctus, vt postea. Docet quintò ex Numi institutione & vnu securam artem pecuniae accumulandæ, initio quidem simpliciorum ac minùs astutam, sed progressu temporis callidiorem, & lucri cupidiores. Statuit tamen, veras diuitias, non in renomaria, siue pecunie copia consistere, cum numus non natura sed *τῷ νόμῳ*, id est, lege, vnde nomen habet, tantum valeat, & vntum arbitrio mutetur, siatque etiam

Copia &  
egestas sūt  
cause per-  
mutationis.In Sophi-  
sta.De Nu-  
mo, lib. 5.

Ethic. 5.

Ab inné  
tione numi  
anaritia.

# DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

39

*Vere opes interdum inutilis, imò & fame perire posse à natura sunt non à ratione suppeditari, agros scilicet, armenta, pecudes, sylvas, vineas, &c. Hoc loco ait Aristoteles artem omnem infinitè suum finem expetere, sed tamen finitis certisque mediis ut ad finem. Et artis quidem numariae non esse finem in cogenda pecunia, œconomiae verò esse certum finem: quia scilicet hæc naturalis est, illa artificialis. Cur verò in multis sit diuitiarum cupiditas inexplicabilis, causam esse docet vitæ cupiditatem infinitam, & voluptatum. Natura enim quām diutissimè scipiam tueri studet, & Maxima pars hominum decepta cupidine falso, voluptates sine modo appetit. Viuere autem, latari, lasciuire, ludere, aut quoquo modo deliciari sine pecunia vel diuiniis, non licet. Hinc, Virtus post nummos. Hinc, Quo plus sunt poteris plus sitiuntur aquæ. Hinc, Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Hinc, Omnibus itur ad aurum. Hinc, Aurea nunc Verè sunt sœcula. Et,*

*In mundo summus rex est hoc tempore nummus. Interim obseruandæ Numi siue τὸ νομικόν, conditiones. Debet enim numisma esse quantitate paruum: Principis charactere signatum: certo pondere & valore distin-ctum: durum solidumque, ut è metallo non facilè solubili; rarum ac pretiosum: in minimis monetas pauperum causa diuisum: Denique ad commutations non ad turpe fœnus, siue nefandam usuram, destinatum.*

*Ad Cap. decimum.*

**S**TATUIT, Chrematisticen subseruire Oeconomiae, nec tam partem esse quām administrām. Alioqui eodem iure ἀρετὴ, medicinam dici debere partem œconomicæ; cùm par fere videatur utriusque in familia necessitas, nempe vietus & sanitatis. Quod etiam diceretur de artibus necessariis, sutoria, sartoria & similibus. At nemo artes has licet necessarias, meritò dixerit esse œconomicæ siue Artis regendæ domus veras partes. Sed tamen ut Oeconomi & Politici munus est, suorum sanitati aliquo modo consulere, aliquo autem modo non, sed medici, cuius nempe proprium munus est ex arte mederi; (sicut Oeconomi vel Politici curare, ut medicus accersatur,) Sic sanè & Oeconomi est aliquatenus curare ut res familiaris & pecunia suppetat; aliqua autem ratione minimè, sed artis ministeræ, ἡ τεχνητὴ, id est, Chrematistica: præsertim naturalis. οὐσίας γὰρ δὲν ἔργον, προφέλωτὸν γνωστὸν τελεῖται. Naturæ enim officium est alimentum exhibere rei generatæ. Et hæc Chrematistica ex frugibus, & animalibus, sanè quām laudabilis est, honesta, & ad œconomiam necessaria; sed illa ἄρτη, siue mercatura in permutoando posita iure vituperatur: Eoque magis, quo longius à

*Tom. 3.*

finibus naturæ discedit, & hominum eorum arte, versutia, & calliditate nititur, qui toti in numis congerendis acturpi quæstu occupantur. Hinc meritò odiosa est Ars fœnerandi siue ysura: (quæ ab Aristotele hoc loco vocatur ὁδοποιία, quasi obolum siue nummum appendens:) quia nempe à natura maximè recedit: quippe quæ è numero numum pariat. Inde enim Græci fœnus eleganter vocant μάκον, quasi partum numi, ut & Latini fœnus tanquam fœtum seu fœturam pecuniæ pecuniam parientis, inquit apud Gellium Varro. At è numero numum generari, præter naturam est, cùm numus sit quid sterile, & sola lege valeat. Sed & legitimus numi usus fœnore violatur. Est enim ad rerum permutationem & commercij causa institutus & tanquam rerum instrumentum; fœnore verò redditur ipsa res permutable. Locatur enim numus fœnore, ut equus, ut vestis: Cùm fœnus ferre nihil sit aliud quām locatio numorum.

*Ad Cap. Undecimum.*

**H**AETERUS de cognitione Chrematisticæ, siue artis rei quærendæ; nunc de usu, quem morales disciplinæ potius quærunt, quām scientiam. Usu ergo ut doceat Aristoteles, Quæstuariam in tria genera distribuit, subtilius quām antea. Nempe in Chrematisticem naturalem, cuius Dispositio Chrematistices in Naturalem, que vel consistit in re agraria; vel in agricultura, seu agraria; vel ποτιστική, consita, siue plantata arboribus, vineis, &c. videndum etiam vnde plus utilitas esse possit. Habendam præterea esse rationem, τὸ μεταλλητικόν, ἢ τὸ ἄλλο τὸ ζῷον τὸ πλεονᾶ, ἢ πλωῶ, mellificij, & animalium cæterorum aquatilium, volatilium, vnde quæstum facere liceat: In Chrematisticen, μεταλλητὴ, permuttericem, cuius pars prima & maxima est εμπορία, mercatura. Huius verò tres partes, ταυχλητία, τατricem. quæ fit ope nauium; φορτητία, quæ fit plaustris, vel umentis onera portantibus; πλογή, quæ domi, vel ibi ubi merces natæ sunt. Pars autem secunda metableties est τοκιοποτή, ratiōne. Tertia, μεταποτία, operarum locatio. Est enim opera quasi merx aliqua: quæ operaria pars est adhuc duplex: vel enim in opificiis artium consistit; vel in solo corporis usu artis experte, ut sunt baiilotum operæ, lignatorum, scopariorum, messorum.

Denique in Chrematisticen mixtam, quod genus medium est inter Metableticē, & Physicam; quod etiam dici potest metallicum; quia in metallis occupatur, ut & in fine metallorum, sylua, seu materiæ ligneæ excisio.

*Odiosa  
ars fœne-  
randi, siue  
ysura, &  
præter na-  
turam.*

e ij

ne. Hoc autem tertium Chrematisticæ genus medium esse ait inter primum & secundum, quod aliquid naturæ habeat, nempe metalla, ligna; & aliquid artis: quia nisi metalla & ligna in supellestilem, gladios, pocula, conformentur, aut facta permutatione in usum vocentur ad cibum, ac nos alendos, tuendosque, omnino sunt inutilia.

*Dissilio  
operarum  
humana-  
rum.*

*Epist. ad  
Hirtium.*

*Prudens  
Thaletis  
consilium.*

His explicatis distinguit τὰς ἐργασίας, operas hominum, in artificiosissimas, vbi minimum est fortunæ, sed, intellige, mentis plurimum: sordidissimas, vbi corpora fœdantur, κακῶντα: maximè seruiles, vbi est plurimus corporis usus, mentis fere nullus: denique maximè ignobiles, vbi nullus virtutis, aut minimus usus. Sola quippe virtus nobilitat: *Nobilitas quippe*, inquit M. Tullius, *nihil aliud est quam cognita Virtus.*

In fine capitinis callidum & in arte confiendæ pecuniæ imitandum Thaletis Philosophi consilium narrat. Cùm enim Thales Milesius ex Astrologia vberatatem oliuarum futuram præuidisset, hyeme præcedente nondum exactâ, officinas omnes olearias Miletii & Chij paruo conduxit; quas tempore collectionis oliuarum cùm pro suo arbitratu multis simul & subitò querentibus elocasset, magnam inde pecuniæ summam coëgit: quo insigni facto non nullis ipsi paupertatem Philosophicam exprobrantibus demostravit, ὅπεράδιον οὐλεττοῦ τοῖς φιλόσοφοις αἱ βίωσις, facile esse Philosophis, ditescere cùm voluerint. Ex quo colligit, μοροπώλια, siue singularem certas merces vendendi facultatem, esse unum è præceptis Chrematisticis, quo propterea ciuitates quædam vntantur ad parandam pecuniæ. Quanquam aiunt sola publica μοροπώλια, (dicitur enim etiam τὸ μοροπώλιον, teste Polluce lib. 7. cap. 2. ex Hyperide,) iusta esse, priuata autem iniusta & vetita. Qua de re extat tit. C. de Monopoliis.

*Ad Cap. duodecimum.*

**A**Societate herili siue despoticō imperio, transit ad paternum, & coniugale, siue gamicum. Docetque primò virum in uxorem & filios imperium habere, vt in personas liberas, sed imperare quidē vxori, ciuiliter, πολιτικῶς; liberis autem, regiè, βασιλικῶς. Debere verò uxori virum imperare probat, quia mari vt præstantiori debetur naturæ lege imperium: quod si contrarium accidat, præter naturam πολιτικῆ, esse. Accidit tamen fœminam imperare, cùm est marito prudentior, & fortior. Sed fortes prudentesque fœminæ paucissimæ sunt; *Viruxori;* quales narrantur Iuditha, Zenobia, Semipater liberi, Aretaphila, Lucretia, Amazones. Pari iure liberis debere patrem imperare demonstrat; quia seniori & perfectiori debetur imperium. Tum explicat quomodo

imperium mariti in uxorem sit ciuili simile. Licet enim in eo differant, quod ciuile imperandi & parandi vicissitudinem importet; itavt qui nunc paret, possit imperare; & contra: hoc autem imperio viri in uxorem minùs conueniat, cùm natura vir semper imperet: in eo tamen consentiunt, quod vt in ciuili, magistratus differt à priuato, τοῖς γῆμασι, καὶ λόγοις, καὶ πημασι, vestitu siue ornatu aut cultu, vt Romæ toga prætexta; & sermonibus, cùm sermo magistratus, grauior & seuerior sit; priuati blandior & summissior; & honoris insignibus, vt fascibus, lictoribus, & aliis eiusmodi; sic in gamico aliis sit mariti ornatus, alia oratio, alia obseruantia, & honos; aliis verò fœminæ; licet alioqui sint veluti pares, & conciues. Hic tangit Aristoteles sed breuissimè, historiam peluis, siue vasis ad lauandos pedes comparati, quod cùm Amasis Ægyptiorum rex in editiore loco collocari iussisset adoratum, est statim à ciuibus, licet ante a sordidis usibus inferuiisset. Qua de re legendus Herodotus lib. 2. in Euterpe. Esse verò imperium in filios regium, probat, quia imperare ex amicitia & antiquitate, καὶ φιλίας, καὶ καταστήσεως, est regij imperij species aliqua. Hinc enim Homerus Iouem vocauit patrem hominum & Deorum, πατέρα τοῦ οἰκουμένης, quia sit antiquior, & ex amicitia imperet. Atqui pater imperat filiis, & ex amicitia, & ex antiquitate seu ætate maturiori. Sed & regem oportet naturæ perfectione præcellere, esse verò genere, id est, specifica natura, eundem: Puta in apibus oportet regem esse apem, sed apem grandiorem, pulchriorem, perfectiorem. At sic se habet pater ad liberos: pater ergo respectu liberorum est quasi rex.

*Ad Cap. decimumtertium.*

**S**Tatuit primò, Oeconomum siue patrem familiæ maiorem habere curam hominum & virtutis quām rerum inanimatarum, quē in familia sunt: Item liberorum, quām seruorum. Secundò disputat de virtute imperantis & parentis, id est domini & serui, viri & uxoris, patris & filiorum: Statuitq; in his omnibus esse virtutes sed modo dissimili, & quantum cuique ad suum opus & officium sit satis: ideoque in imperante esse moralem virtutem perfectam; in obtemperante verò tantam esse & talem, quanta & quali opus est. Seruum interim nulla consultandi facultate, nulla prudenteria esse præditum, qui scilicet naturæ conditione adeo sit tardus & hebes, vt sibi ipse satis recte non possit cōsulere. De tali enim seruo hīc agit Aristoteles, qui alterius consilio & prudentia regitur. Uxorem verò habere quidem illud βελευτικόν, consultandi principium, ἀλλ' ἀκούει: sed imbecille. Imbecillitatē sexus appellant iurisperiti l. 2. if.

ad

*Pelvis A-  
maſis.*

*Chr Oecono-*

*mia va-*

*ria, prore-*

*rū & per-*

*sonarum*

*varietate.*

# DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

37

ad Senatusc. Velleian. Vlpian. in tit. de tutoribus in frag. in princ. Puerum denique eadem vi consultandi esse præditum, sed imperfecta: quæ tamen etatis progressu adolescat & tandem perficiatur. Ex quibus sequitur, non esse eandem viri ac fœminæ temperatiam aut iustitiam, sed viri quidem iustitiam ad imperandum, fœminæ ad parendum esse accommodatam; vñóque verbo aliā viro virtutem, aliā mulieri, vt taciturnitatem, quæ virum non decet, conuenire. Addit Aristoteles, non esse tandem serui & artificis virtutem; quia seruus ad agendum est natura destinatus, & vitæ domestica ministeria; ad quæ virtus aliqua necessaria est. At opifex arte talis est, non natura, estque ad efficiendum comparatus: ad quod officium non est virtus moralis adeo necessaria. Quanquam & opifex aliqua virtute prædictus esse debet, si nō vt opifex, saltem vt seruus, & quatenus humanæ vite deseruit secundū suæ artis opus; præsertim cū πολλάκις δι αὐτοδοσίας οἱ πηγίνοι εἰλέπονται ἐργασίαι, Sæpius ob intemperantiam relinquunt artifices opera sua. Admonet verò, auctore virtutis in seruo esse dominum, non magistrum seruiliū ſuperarum, dominum inquam, qui seruum moneat, castiget, ipsi agenda præscribat, eumque vſu paulatim reddat probum. Ceterū sæpius magisque seruos esse castigandos, quām liberos.

Concludit, de vxoribus & liberis agendum esse in ipfa Reipublicæ tractatione. Cū oporteat vxores bonas esse, liberos bonos, vt bona sit ciuitas; illas quidem, quia sunt liberorum capitum, siue virorum, qui ciuitatem constituunt, pars dimidia: hos verò, quia sunt Reipublicæ semina, ē quibus tandem ciues orientur. Et statim proposito dicendi alio initio transit ad Librum secundum.



## APPENDIX

*Ad librum primum Politicorum, quæ ſtiunculas complectens selectiores.*

Est-ne societas omnis propter bonum aliquod instituta?

*Quæſtiuncula prima.*

**E**st reuera, hoc enim tanquam politicū axiomā ponit pronuntiatque Aristoteles principio huius libri, adeoque certum illud habet & omnibus notum, vt inde concludat ciuitatem quæ est ciuium societas, omnium præstantissima, esse omnino propter bonum præstantissimum institutam,

nempe ob cōmunem publicāmq; utilitatē ac felicitatē. ὁ γῶμεν, inquit ille πόλις κοινωνίας τε γα-  
δοῦ πόλεως ἔργον εὐεσχεῖται. Videmus omnem communitatē, conuentum, fodalitum, congregationem, societatem, boni alicuius gratia constitutam. Nempe quia in eum finem conueniunt, consocianturque homines omnes, vt mutuas sibi tradant operas, ac reciprocis ſeſe adiuuent, tueantur, ſustineantque præſidiis & auxiliis, in commune bonum, vt qui ſeorsum ac ſoli viuentes, vix ac ne vix quidem ſibi ſufficere queant, εἰς γὰρ  
αἵρετος αἴσῃς, vt eſt in veterē prouerbio, vnuſ quippe vir nullus vir, atque vnuſ nihil, duos plurimum poſſe significauit Alciatus emblem. 41. quod ex Homerī Iliade K, petitū eſt, vbi cum Agamemnone & Menelao Nestor consultat de mittendis exploratoribus in caſtra Troianorum, quam prouinciam recipit Diomedes animi magni vir, ſed eā lege vt ſocius ei adiūgatur; & certe ne Hercules quidem vt vincit contra duos, manus manum fricat, multorum manibus grande leuatur onus; perit ac emoritur apicula ſi ſola viuit, ſic ſane & homines ſine ſocietate male habēt, cum natura ſua ſint πληθυγεὶς. Ζωε ex Platone & Aristotele hoc libro, dictique fuerint homines à veteribus οὐδεὶς γρęales, & natū ad ſocietatem, ē quā bellissimè habeant mutuāque bonorum communione fruantur: neque ad ſocietatem natura hominum ingenia effinxiffet ac veluti coēgiffet, niſi magna ē ſocietate ſiue coniugali, ſiue herili, ſiue paternā, ſiue ciuili cōmoda petentur ac promanarent; immo & loquendi vis atque facultas ipſeque ſermo tributus fuit hominibus, vt commodiū ſimul viuerent, eſſentque consociales, & ſua ſibi inuicem confilia, cogitationes, affeſtusque ad mutua ſocietatis auxilia declararent. Propterea dixit Deus c. 2. Genesis; Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adiutoriū ſimile ſibi, nempe mulierem quæ eſt ſocietas coniugalis; & alibi in ſacris litteris; Vę ſoli, quia cum ceciderit, nō habet qui releuet eum. Eſt igitur hominum ſocietas omnis propter bonum mutuum & iniuriarum depulſionem, & inopiam ſubleuandam, quia homines ſoli ac ſinguli imperfecti ſunt ac indigentes, imo & creature omnes quadam ſocietatis ſpecie ſeſe tuentur ac conſeruant, quæ ſciliēt ſint inuicem, contiguitatis quodam nexu ex mundi miro ordine colligatae, in mutua beneficia, quia ſolæ ac ſeorsim ſunt imperfectæ, vnde Deus ſocietate non eget quia eſt perfectissimus, ἀνταρτιſſιmo ſibi ſufficientissimus, nec reuilla indigens. Homines autem natura ſuę egeni & imperfecti ſocietatem ineunt vt bonis abundant atque à damnis & iniuriis vindicentur vitānque degant beatorem, de recta enim & orthodoxa ſocietate hic

sermo est , siue diuina & ecclesiastica , siue humana & academica , senatoria , ciuili , militari & alia quavis honesta . Licet societas improborū , piratarū , latronum etiam propter bonum aliquod , falsum tamen aut apparens sit instituta . Sed quæstiunculam de rerum omnium communione , nedum societate hominum , concludet elegans ac prorsus aurea gnomie & sententia lib . 3 . de Orat . Nullum est genus rerum , inquit ille , quod aut avulsum à ceteris , per seipsum constare , aut quo cetera si careant , vim suam , atque aeternitatem conservare possint .

Differunt-ne Politicus , Basilicus , Oeconomicus & Despoticus ?

### QVÆSTIVNCVLA II.

**D**ifferunt specie , non quidem physicā : nam sunt eiusdem naturae , putâ humanae , sed politicā & morali , quæ constituitur nō ex paucitate , aut multitudine personarum obtemperatiūm sed per respectus morales , ordines , finēsque diuersos ; adeo ut iij politicā specie differant , qui in vrbe vel familiā diuersa gerunt officia & ad diuersos fines diuersālque personas destinantur . At verū Politicus & Basilicus diuersa gerunt officia , vt œconomicus , & Despoticus , qui diuersis personis ac diuerso fine imperant . Politicus enim ciuibus , inter quos est parendi & imperandi vicissitudo ; Rex subditis , qui vicissim reges non fiunt ; œconomicus familiæ , Despoticus seruis imperat . Ergo differunt illi omnes specie morali & politicā , quo sensu intelligi debet decretum Aristotelis c . 1 . lib . 1 . Politicorum .

Quotuplex est hominum societas ?

### QVÆSTIVNCVLA III.

**Q**uintuplex : Prima viri & vxoris , quæ dicitur Gamica : Secunda heri & servi , quæ Despotica : tertia patris & liberorū , quæ patrica : quarta vicinorum , vnde vicus nōn ; quinta ciuium , vnde ciuitas . de quibus in textu sed tres priores sub domo possunt contineri . Vnde triplex omnino existit societas : domus siue familia , vicinia , ciuitas omnium princeps ac præstantissima quæ alias omnes eminenter & meliore quodam modo comprehendit .

An lege naturæ fœmina differat à seruo .

### QVÆSTIVNCVLA IV.

**A**ffirmat Aristoteles cap . 2 . huius libri & rectè . Ea enim per naturam differunt , quæ ad diuersos usus naturæ lege destinantur : At fœmina & seruus naturæ lege destinantur ad diuersos usus ; illa quidem ad procreationem sobolis , hic ad communem domus ministerium ; & certè natura ad singulos usus singula fecit instrumenta ,  $\chi \nu \delta \tau \iota \tau \iota \iota \mu \nu \kappa \rho \omega \nu$  nihil facit parcè , & tenuiter ,  $\delta \iota \sigma \nu \chi \iota \kappa \nu \tau \iota \tau \iota \iota \mu \nu \kappa \rho \omega \nu$  ut Fabri ferrarij gladium , Delphicum ad multos & varios usus . Hic enim gladius & maestandis olim victimis seruiebat , & nocentibus plementis . Quisquis ergo fœminâ utitur ut seruo , aut ancillâ , is barbarus habendus est , quia apud barbaros fœmina & seruus eodem sunt ordine . Cuius rei rationem ait esse Aristoteles , quod barbari careant vero domino , qui nempe per naturā imperet . Barbarorum enim societas tota est seruorum & ancillarum naturâ . Cum nullus apud eos prudentiâ consilio & virtute vigeat , sed omnes instar belluarum viuant . Ex quo subtiliter cōcludit Aristoteles æquum esse , Græcos , qui virtute & prudentiâ valent , barbaris imperare , ut naturâ seruis . neque id esse iniustum . Sed viri sociam esse vxorem non seruum , docent sacræ litteræ Genesis 2 . Ecclesiastici 7 . & diuus Thomas prima parte quæst . 92 . art . 3 . præclarè obseruat ideo Euam primâ mulierem è costâ Adami ideo fuisse idcirco à Deo formatam ut significaretur socialis viri & mulieris coniunctio . Neque enim mulier debet viro imperare , & propterea non fuit è capite formata , neque debet etiam à viro despici , tanquam ei seruiliter subiecta , & hinc è pedibus formata non est , sed quasi è medio corpore seu costâ , ut æqua viri & vxoris societas secundum vitæ communem usum designaretur . Durus es Demea ( inquit Terentius in Adelphis ) si vxorem contempseris , barbarus si percusseris . Sit ergo vxor thalami socia , œconomicæ administratio- nis particeps , & viri solarium .

De seruitute & seruo .

### QVÆSTIVNCVLA V.

**C**icero in paradoxis seruitutem definit obedientiam fracti & abiecti animi , arbitrioque parentis suo . Iurisconsulti ad titulum 3 . de iure personarum , constitutionem iuris gentium , quæ quis alieno dominio contra naturam subiectur .

Vtrāque